



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm
Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Decimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORIA RVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS
Liber Decimus.

DE haec pacis opera, Vicecomites, in medio belli discrimine, cùm famam sibi inter ciues, & apud exterios ingentem quaesiissent, munierant etiam interea se se magnarum domorum affinitatibus, quae apud principes vincula laxantur adstringunturue dominationis utilitate vel damno; tantique sunt inter eos necessitudines istae connubiorum, quantū ortae in diem causae momentū fecere. Quippe, si nullis aliorum explicitis ea regiorum animorū spectata sauitia esset, poterat generis huius celebre documentum fieri ipsa Vicecomitum domus, cui grande subsidium instrumentumque rerum matrimonia petebantur, dein extincto primae gratulationis calore, odia tantū ex affinitate & mutuae fraudes manebant. Catharinam Mat-

thaci

thaei junioris filiam Vgolino Gonzaghæ desp ondē-
runt adhuc infantem, pariq; aetate filia Francisci Car-
ratiensis est disponsa Marco Bernabouis filio item in-
fanti. Priori matrimonio dotem dixerat pagos, & op-
pida nonnulla; quid ipsi ab Carrariē accepissent, in-
certum fuit: dies nuptijs utrisque est dicta cūm pri-
mūm infantes adoleuissent. Aliud etiam puerile ma-
trimonium festinauere, pactā Montisferrati Demar-
cho Mariā Galeatij filia quadrienni, tamquam ad fi-
niendas veteres cum ea domo inimicitias vnicū puel-
la illa placamen foret. Maiorque sponsa, & præsi-
dium domui maius ex Gallia aderat Isabella Regis so-
ror nupta Ioanni Galeatio Galeatij f. præter regij san-
guinis gloriam, dotem quoque ferens, qua Viceco-
mites in Galliam usque opes protulere. Nam so-
roris suae virtutum Rex Carolus Comitem Virtutum ap-
pellabat; qui titulus, & dynastia secuta maritum est;
cætera matrimoniorum cōpendia, quae petit a erant,
irrita fuerunt, siue etiam in contrarium cecidere, cūm
scilicet ipsa emet quæstuae res, incitamenta irarum, &
causæ bellorum fierent. Maria Galeatij filia, quae Mō-
tis Ferrati Demarcho ad placandas inimicitias pacta
erat, statim mortua acris de integro odium in ea pac-
te excitauit, eruperuntq; irae, quas interiecta paulis-
per infans morata erat. Et affines reliqui, uno om-
nis animo consilioque, post habita revxoria, seposi-
toque procul ab omni bellica consultatione mulier-
cularum respectu, iunxerat cū Ægidio Cardinale Ro-
manoq; legato arma, postquam Vicecomites virbi

H h h 2 Bononiae.

Bononiae recipiendae acrius insistebant ; tantoque promptius iuxtere, quia connubiorum tunc denique artem intelligebant . Fallaci se se necessitudine comprehensos fuisse, & illigatos, ut ad eum tantae capie- dae urbis conatum obnoxij immobilesq; haberentur . Itaque, nuptiarum fœdera feminis relinquentes, strenue bellum in Vicecomitem vtrumq; parabant, domumque eam, unde uxores, aut nurus acceperant, dederantque vicissim, paratierat delere, dum metuunt, ne nimium ipsa attoletetur . Paribus in generos soces rosque animis, Bernabos, & Galeatus, cognita eorum aduersus imperium potentiamq; suam inuidia, quo- niā summis humanae benevolentiae pignoribus eos conciliare non potuerint, coercere magna aliqua clade gestiebāt, obliti puellarum, quae ipsae, oblitate pa- terni testi, recta potius respiciebāt ea, in quæ venerant- jam, vel in quæ ituræ ex pacto fuissent . Metropo- lis vero ipsa, & urbs Mediolanum, Ambrosianaque hæc Ecclesia, cum paulò antea, laetitijs, & publica propter eas nuptias gratulatione exulta esset, simililue, fuisset exultanti, repentina propter mutata omnia luctu miserime confictabatur . Nam, & manen- te Sedis Apostolicae indignatione, dirae manebant adhuc, & tamquam in damnatam execrabilemq; gentem, hostium injuria feliciter nimium, & absque villa mutua ipsorum clade procedere incipiebant . In- iuria, & clades illata per hoc tempus Insubriae terris, & agro Mediolanensi gravissima fuit illa cum An- glorum copiae truces ingenij & irritata facutia,

quod

quòd Gallico bello stipendia nulla ab suo Rege accepissent, ostentante prædam instiganteq; animos Sabaudo, irrupere. Vaftata per eos, & direpta omnia tam immanibus modis, ut dubitari posset, rapiendi ne magis libidine venissent, ac faciendi in corpora, postquam nihil erat ultra quod raperetur. Alexandrina via populabundo agmine ingressi Longobardorum fines, absque discrimine vello, mistam virorum, & seminarum, & tencrae, grandisue ætatis, stragem edidete quacunque incesserunt. Quæ non poterant auferre, fracta, & comminuta coniiciebant in caesorum aceruos; & ubi ad Monasterium fortè deuenerant aliquod, si corpora erant opportuna turpitudini, fœdabantur; nisi libido facuitiam morata erat, squalida, contemptaque ora puniebantur nec. Et cōstitit, trucidatas esse nonnullas, postquam sub barbara inhonestate ingemuerant. Ea barbaricæ irruptio fulguris pene instar est peruvata Mediol. agrum; ac sicuti sui aduentus famam copiæ illæ Britannorum antecesserat, ita nostros apparatus vitauere celeritate eadem, cùm, & ex agris, & ex vrbe aduersus eum hostem armati ad signa convergentur, adeoq; terror ipsis institutis moenibus vrbis, ut Gallarum, & Seronum cincta muris loca nudarentur, ne barbari arces sibi eas occuparent. Iam enim, & Castrum nouum in Dertlonensi agro, & Romagnanum in Nouariensi, & alias alibi arces occupant, in quas collata, deinde præda omnissimul abdidere sese lubsidium non leue foederatis, & formidabile

dabile momentum ijsdem , si gens pretio venialis , & amica plus offerenti, transiret in partem alteram, sicuti postea corrupti per Galcatium transiere. Nunc , & barbari timebantur ex vicinis Metropoli castellis , & quotidianae municipiorum, oppidorumq; defectio- nes timorem augebant, improspero simul omni fere Mediolanensium conatu , quamcunq; in partem ar- ma Viccomites tulissent. Defecere Vogherienses, & Casalenses, & Garlaschum, & Sala, & loca alia, non quidem suo nomine , suisque viribus vñquam aesti- mata supra locorum humiliū vilitatem ; sed tan- quam in aegro corpore, quicquid aggrauaret, maius quām pro re ipsa damnum periculumq; habebatur. Et vulnerabat maxime animos, quod ad Montisfer- rati Demarchum ea loca descivissent, quae semper inimica domus auxerat vicissim odia, postquam, mor- tua, sicut dictum est, infante, a primis humanæ bene- volentiae vinculis, ad yltimas mutuarum insectatio- num acerbitates laxati instinctique animi erant. Guelphi Brixienses etiam ad Demarchum eundem ce- terosque foederatos vibem vertere eam conati, ma- nifesteque rebelles, hoc ipso victoriæ speciem habe- bant, quod poterant aliquandiu pugnare cum Me- tropoli. Vici sunt, non tam ab exercitu nostro, quām ora forte pestilentia, que adsidentes mœnibus foede- ratos abire inde coegit. Sed accepta mox ad Muti- nam clades documento fuit, nequaquam Mediola- nensium causa id malum hosti diuinitus fuisse im- misum, sicuti proprie ipsius rei opportunitatem inter- pretari

pretati erant. N̄imq; caesa ibi magna exercitus parte, Bernaboue pene oppreso ipso, captis primotibus virbis, intelligere potuerunt, arcano fortasse alio diuinæ prouidentiae nutu tabem eam excitatam nihil ad ipsorum commoda pertinuisse. Mediolani interim congruentia omnia tam infastis rebus erant; summaq; ciuium voluptas spectandis eorum suppliciis, quorum domestico latrocinio vastata Ciuitas erat, dum foris bella haec gerit. Picardonus Vasallus, qui per nomen munusq; curandi rationes principum, afflixerat multas innoxias domos, pecuniamque sibi ingentem fecerat, extra Portam Ticinensem ad Virgininum, fractis laqueo ceruicibus e furca pependit. In alia calcitrauit furca Gherardus Brusatus, satellitesq; & Scribae ad quinquaginta, effossis oculis, dimissi per urbem, cœno, fustibusq; obruebantur, permisâ hac licentia plebi, solatioque ob latrocinia, & fraudes, quas ab illa hominum fræce perpetra erat. Dederat Bernabos ea solatia vrbi, postquam amissio ad Mutinam exercitu, perculsis omnium animis, seditio fortasse nonnulla timebatur. Paullo postea, Britannorum copiae, quas fœderatis aduersus Vicecomites adiunctas fuisse demonstrauimus, oblata per Galeacium sti pendij largioris illecebria, quam quod inde accipiebant, alienantur, & militiam relinquere sese ingratam dicitantes, transtulere signa in partem cui terrori ad eam diem fuerant. Hos casus alternante bello dimicabatur inter Pont. max. & Vicecomites; atque propter id certamen Italia fere tota in armis erat, dum

Bono.

Bononia defenditur aut oppugnatur, dumq; urbem
eam, in hac velilla manere parte, principes ceteri, vti-
le siue aequum censem. Anno octavo, postquam id
bellum suscepit initumq; erat, pacem iniere in
has leges. Tradiceret Bernabos castella omnia & ar-
ces, quas in Bononie si agro captas haberet. Pon-
tificis nomine vicissim ei persoluerentur quingenta
millia florenorum nummum. Ea peccuniae sum-
ma donec per soluta decem pensionibus esset, Vrbs
Bononia teneretur ab Arduino Cardinale Cluniacen-
se, neque Bernabos praesidia deduceret ex arcibus &
castellis, oppidisue, antequam pecunia pernumera-
ta esset. Si qui captiui Mediolanenses, aut si quae Vi-
cecomitis arcis in potestate Pontificiorum essent,
eae arcis, iisque captiui restituerentur. Ante omnia
redderetur vrbi Mediolano sacrorum usus, omneq;
interdictum tolleretur, & suo ritu legitime, ac iuste
frequentaretur Ecclesia Mediolanensis, maneretq. Me-
tropoli Ambrosianae iura omnia quæcunq; anti-
quitus fuissent. Earum rerum causa Cardinalis ipse
Arduino Mediolanum venit, connixo suis etiam
opibus Vicecomite, ut Legatus Apostolicus quam
magnificentissime acciperetur. Exhibitи publice lu-
di, coniuiciaq. & certamina equestria, in quibus, atro
candidoque colore distincti equites, atque in duas
surmas diuisi iucundum Legato spectaculū præbue-
re. Cumque per eos forte dies auctus filiola Vicecco-
mes esset, optauit ut ea per legatum eundem sacris
lymphis ablueretur; annuitque ipse, & sancto illo
pignore

pignore privatum etiam inter eos amicitia conciliata est; gloriola & iucunda cuncta in popum magis quam fida, & duratura. Quippe tota etiam legatio, & mutuo consensu scriptae conditiones irritae futuræ erat; neque satis constat inter scriptores, utrius partis culpa fuerit in dissoluenda pace, quæ certe diu non manuit. Bernardinus Corius, simplicitate magis equidem arbitror sua, quam adulatione in Vicecomitum genitus, aut in res Ecclesiasticas malevolentia, Clericorum suis culpam ait; eos post habentes utilia rectis discessisse a conditionibus, & coalitam pacem sine causa abrupisse. Sed potuit fortasse conferti iustius id ipsum in Vicecomites ipsos, quos aucti spiritus, & domestica exempla quidlibet audendi, Matthaeus & Ioannes, per dominationis insaniam culpis erga sedem Apostolicam hereditatijs istis assuefecissent. Vibem namque eam Bononiam ab Archiepiscopo patruo interceptam usq; possessam perdidisse ipsos culpâ fore quandam scilicet inexpiablem, sibiq; & maioribus suis turpe flagitium existimabant. Hinc illa erga sedem Apostolicam leuitas & contumacia, contemptusq; pacis & conditionum omnium, quaenamque virbis eius imperium aliò translulissent. Ita dominantium insaniam, Mediolanenses, post exiguitatem potis pacem, in bellum rursus coacti impium infelicia arma retinebant, ne modesto unquam otio & Catholicitate tranquillitate frui ciuitas posset. Domus autem ipsa Vicecomitum, quam olim coerceri Recip. Maestate non difficile fuisset, iam ciuium indulgen-

lilia tia,

tiā, conditionē temporū , artib⁹ suis, supra Remp⁹
euecta erat. Atque fastidit⁹ nunc acquālum Regu-
lorum affinitatibus, quae notis inter pates miseris ac-
cumulationeq. & liuore, & vbi periculi tempus venisset,
manifestā perfidia corrumperentur, ad matrimonia
diuersa quaedam adiecerant animos, quibus initis,
neq; fraudem ab maritalibus familijs, neque sub ea-
rum tutela vim ab alijs timere vllam possent. Nam
que cum Austriacis Archiducib⁹ in Germania con-
sociauere sanguinem, quae Domus incorruptæ no-
bilitatis fons, Cæsarum Regumque procreatrix, gra-
uida imperijs, satira gloriae, sinceram amicitiae fidem
& vndiq; securitatem ipsa tui nominis magnitudine
policeri videretur. Virida Bernabouis filia data est
Leupoldo Alberti filio, cuius matrimonij pignus, non
ad praesentis modō fortunæ statū, sed in futura quo-
que secula praesidium domui fuit. Inde enim ortus
est Ernestus, Ernesto Federicus Imperator, Federico
Maximilianus, ab cuius stirpe prodijt Imperium, quo
nullum vñquā fuit maius inter homines, si orbis vtrius
que subiecta ei hodie Regna numerentur. Alia Ber-
nabouis eiusdem filia Thadea nomine nupsit Bau-
ariae Ducis filio, vicissimq; nrum sibi Bernabos ex ea
domo petijt, vel mortua interim vel spreta Carrari
Ensi puella, quae filio eius Marco despensa prius fue-
rat. Violantam Galeatij filiam Lionello Angliae
Regis filio dederunt; eaq; matrimonia, nō sicuti prio-
ra, vanum sine exitu, sine mutua caritate nomen fue-
re, sed fida & cū suo quodq; fructu ob partis alterius,

&

& Austriacorum praecepsū magnitudinem, qui mis-
norem domum, postquam sibi iunxerant, volebant
etiam esse saluam. Et urbs ipsa, partim laetabatur
adiunctis sibi per matrimonia tanta praesidijs, par-
tim, ut existimo, occulte anxia erat nimiam princi-
pum domui accessisse confidentiam videns. Qui
laeti, quiue solliciti erant, certatim omnibus plausere
nuptijs eiusmodi; spōsæq. dū ad maritos deducuntur,
sive accipiuntur in urbē, exhausit ex priuatorū domi-
bus adulatio quicquid fere quotidiana & assidue
bellorum necessitates, tributaq; & hostiles incursus
reliquum fecissent. Volebant enim, & urbem, &
ipsos, quam splendidissime apparere, sive luxuriā, sive
magnanimitate, quae propria semper populi huius
fuit; prouocabantq; sumptuum & opulentiae cer-
tamen Regna prouinciaeque huc alienae nuptiarum
earum occasione confluentes. Rodulphus Leopol-
di patruus, magno Germaniae procerum ornatis-
moq; comitatu cùm Mediolanum ad visendam spō-
sam, & firmando pacta venisser, ibi est mortuus, & in
D. Ioannis Aede ad Concam illatus tumulo non sine
funeris honore, quem, & hospitij comitas erga prin-
cipem externum, & Austriaci nominis magnitudo
postularet. Et sponsa quidem illa in Germaniam
postea deducta est, cingentibus latera, hinc patre, hinc
patruo, totaq; prosequente nobilitate Mediolanensi,
donec ad prouinciae fines egressi Austriaci puellam
excepere. Ad Violantam verò Galeacij deducendā
profectus Mediolanum ex Anglia Lionellus, cùm In-

Iii i 2 fulae

sulae Regniq; fere opes in urbem transstulisse dicere-
tur, haud tamen eius aduentus utilis Metropoli fuit,
volentibus scilicet nostris etiam ostentare plura, &
pugnare cum barbarico illo fastu. Ad Templi ma-
ximi valvas nuptiale sacrum fuisse peractum tradunt
ab Episcopo Nouariense, postquam is in Ara maxi-
ma solenni ritu perlitarat; Bernabouem patruunt
puellæ digitum tenuisse dum ab Episcopo illo annu-
lus ritè inderetur. Epulum in Arenæ Aula fuit, tanto
apparatu, tantaq; ferinae & mansuetæ carnis pom-
pâ, vt singula fercula singulosq; missus dignos histo-
ria iudicauerint qui res eius aeti litteris prodidere.
Nos potius indignati sumus, multumq; miserati pa-
triæ vicem, cùm eos luxuriae annales inspiceremus.
Scilicet, solidos apros auro gemmisque distinctos, &
altilium omne genus cum sua quodq; caelatura, &
coronamento illatos mensis, cùmq; ordine eundæ
inferrentur, simul inducta in aulam multa deinceps
venaticorum canum paria, vt noscerent coniuiae
molossos pecudum earum lanistas, quas ipsi lanci-
narent. His ipsis aurea subligacula gemmasque
bracchias, & torques, & collaria siue millos, pene, ve
canibus fortunam in qua incedebant, coniuvium om-
ne inuidere cogretur, cùm nihil parcios exulti viri
seminæque essent. Amplioré equorū ornatū, qui dor-
so imposita fercula deuehebant in conclave, rursusq;
fulgentes magis atrientes, qui iumenta ipsa tenebant
loris. Centum amplius equos, vt qui que industi-
erant, dono datos à Principe cùphaleris ephippijsq;
luis,

suis, quorum prelio iumentorum greges emi potuissent. Duos eximia specie sonipes esse inducos, quorum alterum ex ferocia leonem, alterum Abbatem appellarent. Condere annibus haec iuuit. Aulac quoque principes, ministeriumq; totum & discubentium ordinem, ceteraque pompa &c coniuuij eius tradidere. Vbi, cum Nouariensis Episcopi nomen inter alia coniuivarum nomina prescripsit extet, credere cogor nullū hoc tempore Mediolianni Archiepiscopum fuisse; nisi si forte erat, & propter iratum rei Bononiensis causa Pontificem, dexterè sele subducebat, ne coctibus intercesseret eis, vnde labes ad ipsum aliqua perueniret. Id ut potius credere velim, adducor, quia quadriennio ante Roberto Vicecomiti, post septimum Pontificatus annum in Ecclesiae Mediolanensis administratione Gulielmus Pustetula successerat, cui nouem anni tribuuntur in Archiepiscoporum fastis, neq; nomen eius inter negotia tamen nulla reperitur. Ceterū, non erant omittenda nobis ciuium nomina, quos ad matrimonia illa concilianda, Bernabos & Galeacius, internuntios adiutoresq; habuerunt. Fuerit autem, Manfredus Salutius & Protafius Caimus, duo Vicecomitum Confiliarij, quos principi utrique ad omnia fuisse assiduos constat. De Salutio ambigitur, sicut nec urbis nostrae eius, an familiaris tantummodo principum, & alienigena casu forte aliquo secutus hanc aulam. Caimus ex Germanicae originis familia iam inde ab Conradi Imperatoris, & Archiepiscopi Antimiani temporibus profecta

profecta in urbem, & tæpe aliâs apud principem
optima quaeque suadendo profuerat huic patriæ, &
nunc subsidium aduersus externa arma existimans ur-
bi fore opportunum, si principes sui cum Austriacâ
domo iungerentur, magnopere contendet ut id
fieret, originis etiam commendatione delectus qui
super ijs rebus in Germaniam legaretur. Duos holce,
Salutium, & Caimum vna cum Bernabouc & Galea-
tio obuiam processisse vñienti Anglo refert scriptor,
qui ipse in parte pompa fuit. Ceteri deinde, quo
quisque cultu & ordine incessere ab scriptore eodem
recensentur, Franciscus Zanchadius, Dominicus Ar-
dizonus, Iacobus Preuidus, Gaspar Vicefortes, Zano-
lus Armenulphus, Ioannulus Biragus, Henricus Co-
mes. Capita haec Mediolani rerum, & consilium
principivtrique intimum suere, quas hodie familias,
excet pia vna, vel altera, arbitror posse nostris homi-
nibus irrisui esse propter cognomina inaudita appella-
tionesque absurdas, quæ sepulta iam pridem omni-
domorum gloria & stirpe, nunc scilicet ad breue mo-
mentum ex diuturni silentij caligine prodierunt. In
haec tpectacula effusa ciuitas, dum fruitur simul absu-
miturq; nuptiatum apparatu, non senserat interea
nolem apparatumq; belli, quod Vicecomites ador-
abant, quodq; vicissim ab alijs in ipsos adornabatur.
Namque, dum commenant super nuptialibus eis nego-
rijs crebræ legationes, dumque principes etiam inter-
se ipsi cū nostris alieni congrediuntur, transacto pau-
cis, quod ad puellam & dotem attineret, omnis arcani
colloquij

colloquij pars maior fuerat id bellū . Ac super mensa etiam de suis, aut hostium viribus, de locorum opportunitate, regionum sive, principum animis, quae fida, quaeue infida, quid toto orbe validum aut argu differendo oblectarant scyphos produxerantq. coniunctas horas . Nec segnius in parte altera consultabatur. Sedens Auenione Pontifex Urbanus conuentum ibi principum habebat, ad delendam Vicecomitum tyrannidem , vibemq; Mediolanum vna cum Italia tota liberandam . Et excito illuc inter ceteros Carolo Caefare, donis cum, atque promissis ingentibus armauerat secum . Vicecomites, re statim constituta Genuensi, initoq; cum Rep. illa fœdere, nequid negotijs ab ea parte reliquum domi esset, Britannorum copias educunt, partemque Latij peruultant . In ea populatione, Ambrosius Bernabouis ex pellice filius, & nobiles aliquot Mediolanenses, qui cum eo barbaras manus ductabant, in cauam forte vallem illati capiuntur . Hinc accensi ab utraque parte acrius animi ; Pontifexque Urbanus progressus ab Auenione Viterbium , dimissis per varia Insubrum loca Cardinalibus , ad Vicecomites ejiciendos tota vi incumbebat . Simul aderat Cæsar ipse exercitum dicens gloriae praedaeque audiū, tantoque ferociorem, quod major apud eas gentes erat fama Insubriae opū, & quanto pulchrius hoc ipsum esse putabant, quod ad liberandam Italiam ducerentur . Hac copiae, cum se Pontificijs ceteroque fœderatorum exercitus iunxere, Mediolanenses in agro Mantuano Ferrarien-

si que

Si que bifariam diuisi erant, praecipuâ Vicecomitum
in duas illas urbes itâ, propterea quod, ab Gonzaga
& Estense Pontificem Urbanum in sua damnâ maxi-
me fuisse instinctum scirent. Mantuanum, usque ad
portas urbium grassati ignibus & ferro conterritam
direptionis metu habebant. Ferratiensium naues Pa-
do anni subsidio Mantuanis euntes excepserant
instructa & deducta ad Guastallam classe, quae
prope maior fuerat clades, quam prior alia terrestri
Marie illata cum desperatione omnium & luctu.
Extructo etiam ad victimum fortè Castello, obsidebat,
haud dubie potiebanturque flumen. Id capere ca-
stellum Caesariani primùm omnium conati cum vi
aperta nihil efficere potuerint, obrui posse munimen-
ta illa sperarunt, si disiecta mole, qua non longe inde
coercebatur annis, aquae repente omnis immisae
ac superflue essent. Intumuerat enim per eos dies
imbrium auctu Padus, & proluvies illa repentina vn-
darum, exercitu ipso violentior futura erat. Sed no-
stri ad eius periculi casum attenti vim fluminis ingru-
entem vertere in adiacentes campos, mersaque homo
ipsa Caesarianorum castra turbauere. Initia belli
haec neutri parti leta esse poterant; quippe, cum Me-
diolanenses praeter armata m setetotam in se Italiam,
duo capita rerum humanarum Pontificem & Caesa-
rem imminentes sibi hostes viderent; his dubium cru-
entumque exitum portendere viderentur principia
rerum, urbs nunquam plane vista, subnixi principes
regum opibus, contumax aduersus clades fortuna

Viceco-

Vicecomitum. Et erant in utroque exercitu, sicut
armorum instigatores & cupidi praedae multi, sed
tiosi & egeni etiam ex principum numero, ita meliores
alij, neque praedam sibi quaerentes ullam, neque pro-
bantes illa arma, sed officio erga Pontificem & Caes-
arem, patrijsue legibus, & veterū fœderū necessitate tra-
cti in id bellū. Cum Bernaboue Senatores ex urbe ali-
quot, & ex Mediolanensi Clero grauissimi viri Ciuita-
tis, quorum ille consilio vtebatur: cum Caelare Ba-
varus & Austriacus, qui licet ea castra sequerentur, re-
cēti affinitate proni in Vicecomites, horta mēta stimu-
losq. pacis ex quotidianis casibus at ripiendo mitiga-
bant suos, nec magno negotio, horum opera, tanti il-
li virinque tremitus, & apparatus paulisper cōquie-
re. Induciae, tamē erant potius quam pax ipsa, dū sci-
licet Pontifex & Caesar controuerſa quaedam capi-
ta deciderent, quorum arbitrium & cognitio ipsis
permissa erat. Et post aliquot inde menses, quia coe-
perat apud Vicecomites suspecta esse cunctatio iudi-
cij eius, sumptis iterum armis, & facta in Mantuanum
agrum impressione, subegere terrore arbitros, vt res
eas, quae in controuersiam vocabantur propere de-
finirent. Ut verò edita de controuersis illis capitibus
sententia, Pontifex & Caesar, nihil de Bononia, quae
prora, & puppis erat omnium rerum, explicauere;
tunc Vicecomites, absque villa pacis, siue induciarū
verecundia, tentant rursus Romanum impudentiore
arte, quam si bello aperto aggrederentur. Cū
enim Perusiam vibem Pontifex Maximus acerrime
Kkkk oppu-

oppugnaret, eaque vrbs non posset iam vlo modo
euitare Apostolicæ Sedis vim , missa sunt ab Medio-
lano auxilia obfessis, datumq. famae , tamquam Io-
annes Acutus, accepta ab Perusinis pecunia , copias ,
quibus ipse praeerat , & Britannum præcipue mili-
tem transitione sua illuc auertisset : Huic dolo mox
alius subnectitur dolus ab ijsdem animi stimulis, quod
permisso hostibus ipsis arbitrio de rerum summa, ex-
cidissent eius rei actione & iure, propter quam iniu-
stis cuncta armis turbarant . Sperauerant enim, cum
inclinatis ad pacem animis arbitros lumeret Pontifi-
cem & Caesarem , posse per Austriacum, & Bauarum
effici, ut Bononia sibi ab illis adiudicaretur; & per col-
loquia fortasse occulta inter eos ita conuenerat .
Quaespes vbi irrita fuit, gerebant Vicecomites aliud
occulte bellum; callidaque consilia & improbi astus
erant nunc castra scilicet aciesque contrarie, donec
etiam ad ista rediretur . Posterioris autem doli Vice-
comitum, unde Mediolani ad arma bellumque cum
Pontifice Maximo redditum est, ordo exitusq; fuit hu-
iusmodi . Lucam yrbum Cardinalis Bononiae Lega-
tus vicaria potestate tuebatur , ob ciuiles, credo, bel-
licasque artes, & prouidum animum electus, qui in
magno rerum Italiam discriminis ei vrbi praecesset .
Multae ibi opportunitates , & apta omnia Viceco-
mitum consilio , quo nihil in Italia relinquere sibi in-
tentatum volebant . Nacti ea in vrbe proditorem
Aldericum Lantelminellum, ita cum ipso rem insti-
tuerunt, ut ciui simulatione pacis & gratiae, quam cu
Apostolica

Apostolica Sede reconciliatam habere viderentur; mitterent Lucam octingentos equites cum dupli-
cuditum numero ad Legatum, tamquam subsidio
aduersus Florentinos, cum quibus bellum graue &
difficile Romano erat. Auxiliates illae copiae statim
vbi intra mœnia acceptae diuisaeque essent, tunc ve-
rò Lantelminellus, uti gnarus locorum opportunita-
tumque omnium, & acceptus homo nobilitati iuxta,
& plebi, dux fieret ad vibem, Vicecomitum nomine
capiendam atque occupandam. Egregie dolus hoc
ordine instructus fuerat; sed proditor translata repé-
te fide illuc vnde pretium sperauerat foris maius, Le-
gato dein ipsi cuncta patefecit, nudatisq. ita animis
discellum à fraudum spe, belloque aperto, sicut an-
tea, dimicatum. Pontificis Urbani tamen obitus mo-
ram breuem attulit eis armis, interimque Mediolané-
sis exercitus quacunque ductus erat, varia fortuna
rem gessit. Casalem, & Valentiam & pleraque Mi-
randulani tractus cepere, multiplici intra paucos dies
& insigni victoria, non tam ob loca ipsa, quae capta
erant, quam quia magni & aeterni hostes, Montis-
ferrati Demarchus, & Feltrinus Gonzaga, & cum
Ferrariae Demarcho, nonnulli alij clade ea subacti esse
videbantur. Sed Feltrinus, ad Rheygium, vbi se vrgeri
actius vidit, accitis ab Ferraria & Bononia auxilijs, pe-
ne oppressit nostros; vibemq. eam, paulo post, idem,
dum aduersus Ferrariae Demarchum defendere ne-
quit, maluit dedere Bernaboui, vt hostem potius huc
ibi dominantem videret. Ludouicus Gonzaga Man-

K k k 2 102

tuæ Demarchus, & Manfredinus Saxoli princeps, post
Vrbani mortem, & harum rerum euentus, relicta fœ-
deris societate pro Mediolanensibus stabant. Du-
plicie eo exercitu ad nostrum adjuncto, Mutina oppu-
gnabatur. Corregienses, iam spreto Ferrarensis ad
nos descuere, præter obscuriores alias dynastiarum
ad Metropolim transitiones, inter quos, Salucianus ad
quotidiana certamina impar Sabaudensi, perito hinc
subsidio, quicquid virium & opum vicissim ipse habe-
bat, detulerat ad Bernabouem. Rediere ad obse-
quium Nouocomenses, & Vulturenae vallis pagi, to-
taq. illa lacustris, aut alpina regio, cum antea con-
sternati ad arma, rupibus sese suis, ipsoq; conuallium
recessu aduersus imperij maiestatem tutarentur. Per
Romani quietem belli, incrementa hęc Mediolanen-
sium rebus accedebant, eoque spatio nouae arcis ex-
citata, aut veteres firmatae passim, ad Tritiū nempe,
ad Decium, ad Senagum, ad Melinianum, ad Cusacū,
& ad loca alia, vel in prouinciae finibus, vel in me-
dia prouincia, atque sub urbem ipsam, prout scilicet
alicubi, vel ab hoste vicino discrimen, vel ab intesti-
na rebellione metus, vel etiam opportunitatibus iun-
cta istis amoenitas ad principum oblectamina, qui-
bus illi carere nolebant inter maiores curas. Com-
pressum aliquandiu bellum ultra differri non poterat,
delato post Vrbani mortem ad Gregorium undecimū
Pontificatu, qui, quò placidior mitiorq; ingenio erat,
 tanto magis accendebat quiete sua Vicecomitum au-
daciam, & vicissim ipse stimulis increpantium quoti-
die

die eorum facta, irritabatur. Ita anno cⁱ3 ccc lxxiiij.
Junio incunte, exercitus duo, Pontificius & Mediolanensis, haud procul ab Saxolo (Robera loco nomen est) oppositis castris, sicut ab Imperatore vterq; suo exercitu instructique erant, constitere. Ab Ecclesiastica parte, rerum summa penes Franciscum Folianeum fuit. Regebant Metropolitanos, Ambrosius Vicecomes Bernabouis filius, & Ioannes Acutus, noti iam sat in historia homines, & alio loco producti, sicuti res tulit. Primo confliktu vicere Mediolanenses; & post eam victoriam, ductis ad Rheygium captiuis, Romanus Imperator, nescioqua Bernabouis ira suspensus e muro exanimatusque est infamie etiam apud gregarios milites & abominando fine. Spatio deinde mensis vnius, reparato Legatus Apostolicus exercitu, & alienato à Vicecomitibus Ioanne Acuto, coatisque per Sabaudiensem & Ferrarensim eis diuide re circum varia loca milites, Parmam, Rheygium, Placentiam, Vercellas, Nouariam, Ticinum, aut in potestate habebat, aut premebat damnis & terrore populationum. Ut verò Sabaudiensis, & Ferrarensis, & cum Ecclesiastici exercitus parte, Luchinus Nouelius, traiesto Ticino, ad Modoetiam vlique cuncta per vastarant, deficientibus passim ab Vicecomite Guelfis, nemo erat fere, quin de furtiuo illo imperio, siue, ut itūc appellabatur, tyrannide Vicecomitum esse actum putaret, quo successu Pontifex Gregorius aucto animo, vi maiore est amplexus liberandae Insubriae gloriam, atque in eam rem, qui capere secum arma vellent, his
omnium

omnium noxarum plenam, & Apostolica indulgentia salutarem veniam concessit. Vicecomites ipsi vicissim aduersus eum terrorem armavere populum, Cle- rumque adeò ipsum agere excubias, & ad omnia belli munera esse paratum iusserunt. Tantus incessanter metus, tantaque rerum perturbatio, ut tempora arces fierent, & cum sagso teloque conspicisci sacerdos nemo erubesceret. Me sane pudet iam hoc ipsum narrare quod Clericorum nostrorum acies contra Romanos exercitus armaretur, nec satis esset, ea militia reliquā foedari ciuitatem, nisi sacra etiam quodammodo ipsa principum furore in aciem educerentur. Non autem interea praeliorum exitus erant alij, quam quos esse oporteret, ubi contra Pont. Max. pugnare cogebantur ijdem, qui in acie potius illa stare deberent & vellent; siveque redditia Mediolanensibus & Viceco- miti non semel ea clades, quam primo ad Roberam praelio pontificis ipsi intulerant. Monstratur in hunc diem nosciturque locus in Brixiensi agro trans flumen plurimo nobilitatus Mediolanensium sanguine, cum eo processissent impediendi causa, ne Ioannes Acutus, qui deserto Viccomite transferat ad Pontificios, coniungeret sese cum Sabaudiense, qui suum simul, & Romanum exercitum regione ea ductabat. In eo praelio, cassis aliquot Mediolanensium millibus capitisque qui effugere non potuerant, Ioannes Galcatius Galcatij filius aegre effugit, quin ipse quoque caperetur. Capitur mox Ambrosius Bernabouis filius obtruncaturque ad Caprinum in Martinianae vallisfa- cibus,

cibus, missus cum exercitu alio illuc in rebellanteis
Guelfos, qui tamen paulo post sunt ab ipso Bernabo.
ue domiti & subacti non sine mutua clade properet
montanorum animos obstinatos vincere vel mori.
Angebant ista Vicecomitum animos, mallentq; for-
tasse quieuisse à principio, ne stirpe ab una continuus
tot malorum ordo sereretur. At parte in altera, quam-
quam laeti rerum euentus, & secunda belli fortuna,
moestitiam erant animi ob saeva & impia, &
Christiano indigna nomine multa, quae quotidie fie-
bant, nec illo satis cohonestari poterant militaris li-
centiae vocabulo, quo scelera & calamitates cun-
& ac bellorum teguntur. Adeò excesserant modū, Ec-
clesiæq; status, & disciplina omnis interciderat. Prae-
cipue torquebat Pontificis animum recentis petulan-
tiae pudor, quae ad Vercellas in sacratum uirginum
monasteria debacchata erat. Namque, cùm vībs ea,
tenente arcem Vicecomite, capta ab Ecclesiastico
exercitu fuisse, variarum gentium milites, inualido
ad coercendum Imperatore, claustris effractis, corpo-
ra dicata Deo, & puritati turpissime contaminarant;
praeter feminarum aliarum adulteria, & stupra, quo-
rum tanta colluvies tunc ea in vībe fuit, vt historia
nihil solita mirari tale, semperque accessionem hanc
omnium bellorum, veluti negotium inane transmit-
rens, immorata vtique fuerit huic muliebri cladi, rēq;
deplorarit. Talia audientem armorum eorum fla-
gitia Pontificem Gregorium haud minor habebat
moestitia ob illud Catholicae Ecclesiae dedecus,

quām

quām Vicecomitum ipsorum animos timor ob res aduersas, & imperij discriminem; siccq; pastorali animo, & reip. cura ille, solicitudinibus isti priuatis, pacem recipere rursus, cui pactae in annum induciae pinguis fuere. Per induciarum earum quietem, laetitia nonnulla Bernabos est domi ausus, quām quae bello assiduo passi ciues erant; ac tyrannidem tunc demum vere nuncupari eam cogeret, si iustum antea legitimumque imperium diceretur. Nam quasi inuideret ipse quieti, & saluti urbis, quae repentina, & insperata aderat, & quasi non satis miseriarum ad eam diem vna domus Metropoli vniuersae intulisset, Marthesanae praeципue terris, memoriam rebellium olim ibi Guelorum infensus, Gibellinos in familiarum earum perniciem excitauit, author seditionum, quas reprimere potius ac sedare debuisse. Inde Civitati etiam ipsi infensus saeuire in eam coepit. Edixerat olim, ne quis occideret aprum, neve canes, & apparatum alium venandi causa haberet. Eius editi nomine, & obtentu, spoliare fortunis, priuare vita, delere ab stirpe familias, incendere domos, & effossis quosdam oculis reseruabat in vitae ludibrium, & poenam. Quicunque enim gustasset a prugnae carnis aliquid, bestiamue ipsam mortuam spectasset forte aliqua, siue attigisset, tenebatur lege, quae de apri erat, & promptissima ea tyranno materies feritatis in omneis, quoscunq; odisset ob alias causas. Alebat vero ipse canum ad quinque millia super omnes alieno, diuisos nempe per urbem in hospitia, quomodo milites

288

milites diuiduntur. Centuriones, & tribuni cohortium earum erant: lustrabantur venaticae copiae singularis mentibus; inspectioq. ea magnum principi vestigal erat. Nam siue quis molossus arguerat macie sua hospitis illiberalitatem, siue largiore nutritu inutiliter pinguescebat, irrogabatur multa altori, & seueritate exigebatur. Et tributum simul aliud centum milia florenorum nummum Vicecomiti huic misereobnoxia Ciuitas in singulos annos ferebat. Causabatur ipse graues bellorum impensas, quibus exhaustus nimium attenuatusque esset. Vbi paulisper constituisse domum, depulissetq. miserias rei familiaris, & vulnera pro communi salute accepta lanasset, tunc ciuium quoque fortunis, & immunitati large ac prolixè consulturum. Lenitas, & mansuetudo verborum haec erat, interimq. duos Franciscanos minores, qui miseri patriae calamitatem, ausi fuerant ipsius auribus ad diuini iudicij terrorem insusurrare nonnihil, peritus ira damnauit, ut igni cremarentur, & cremati sunt facto crimine tamquam haeretici ipsi essent. profecto, ego magnopere indignor, & eos qui tunc erant homines, multo magis indignatos esse existimo propter casum hunc in Rep. Mediolanensi nouu & atrocem, ut nepotes Vberti, & Bertae ab Massino pago, & Canonico, dein Archiepiscopo Othono profecti, nobilissimae, & antiquissimae Ciuitatis sic insultare possent. Atque indignari tamen id ipsum magis, quam admirari licebat, reputantes scilicet minime diuersos alios clarissimarum rerump. Imperijq.

LIII præscriptum

praeferrim Romani casus, iam inde ab aduena Tat-
quinio, & Seruio Tullo, qui dominari potuere in vr-
bem, cuius inquilini, vel servi erant. Etenim celesti
semper nutu, & immutabili Dignitatis prouidentia,
per inania haec, & apud mortalium animos absurdam
paratur in longum dignitas & salus vrbibus ipsis, si-
cuti quidem vrbis nostrae quodammodo parata est,
cum ab eiusmodi principatu fundarentur opes, qua-
rum reliquiae diuisae postea in mille posterorum do-
mos alunt hodie nobilitatis florem, magnanimosque
Vicecomites, vel pace, vel bello ornamenta Insubri.
Pactis, ut dixi cum Apostolica Sede induciis, Bernabos
inter haec tyrannica instituta vitam imperiumq; ager-
bat; et postquam induciarum exierat annus, impensis
rursum armis, quantum ex tuto poterat, ad vota im-
pia nitebatur, auctus etiam subsidijs affinitatibusq;
nouis, & hoc ipso violentior. Nam duarum filiarum
alteram Federico Cypri Regis filio in matrimonium
dederat, alteram Francisco Mantuae principi; & mor-
tuu iam Lionello Angliae Regis filio, per secundas vi-
duae nuptias Montisferrati Demarchum perennem
illum hostem stabili foedere iunxisse secum videba-
tur. Ac veluti praesidia parans ultimo conatu, &
conquirens vnde omnia, proiectior homo libidi-
ne penè, quam crudelitate, cum plenam adulterinae
prolis domum, spuriisq. & spuriis tota vrbē complu-
res in angulis haberet, Doninam Ioanni Acuto, Elisa-
betam Lucio Lando, Isoltam Guidono Foliano cum
sua quaque dote, & vicissim ad res firmandas utilitate
locauit

locauit. Icto deinde etiam cum Florentinis foedere, seq; & Metropolim Ecclesiastico bello pertinacius quotidie illigabat. Galeatus cetera concors fratti & fidus, in eo tamen consilia separabat sua, quod ha- bere cum Pontifice volbat pacem, & Pontifex vicis- sim delectatus obsequio principis ac pietate, castel- la, & arces restitui iussertat ei quae superiore bello ademptæ, Romano præsidio iam tenebantur. Mo- ritur deinde ille, & paterni sensus vna cum fortunæ parte heres Ioannes Galeatus Apostolicam Sedem omni religione colebat. Is Picininam Bernabouis filiam Actio filio suo iungere nuptijs cupiens, cum in ea re, consanguinitatis vinculis impediretur, posuit hoc Catholici principatus rudimentum, ut super ca- re Pontifici maximo supplicaret; petretq. ut patru- les Actius & Piccinina rite legibus soluerentur, quæ leges inire matrimonium ipsos vetarent. Preces eius- modi suas mandauit Antonio Saluciensi, qui post Pusterulam Mediolani Archiepiscopus erat. Atque, quod testior esset illustriorque significatio obsequij erga Sedem Apostolicam, iussit confici tabulas autho- ritate publica scriptum hoc habentes, quemadmodū rogasset ipse Archiepiscopum suum, ut suo nomine Pontifici maximo supplex esset ad matrimonij ius im- petrandum. Supplicauere vtiā cum Archiepiscopo, Franciscus Estenlis, Bonifacius Coconatus, Andreas Pepulus, Philippus Casolus, quos præcipuae per Italiam nobilitatis viros Vicecomes idem ad Pontifi- cem maximum legarat. Aliquanto postea Ioannes

LIII 2 Galeatus

Galeatus ipse aliam patrui sui filiam in matrimonium duxit, extatq; ita scriptum in annalibus, Archiepiscopum Mediolanensem vñ cum Archiepiscopo Neapolitano annuisse, vt id matrimonium rite initetur, & vincula consanguinitatis Apostolica autoritate diremisse. Catharina nomen erat sponsae. Hanc, & Galeatum ipsius patruellem rite interrogatos Ecclesiae ritu, Archiepiscopus idem in D. Ioannis Æde ad Concavum matrimonio coniunxit. Anno altero, postquam id matrimonium initū erat (is fuit à Christo nato supra millesimum trecentesimum octogesimus primus) vxor Bernabouis Regina Scaligera nomine, concepit animo maiestatem illam Tépli, quod D. Mariae Virgini dicatum instrumentumque Sacerdotijs amplis, & honestissimo Collegio, pars hodie Regiae magnitudinis in hac vrbe est. Turrianorum aedes dirutae cumulauerant ruinas, ac deforme monumentum conspiciebantur; ruptis nunc vere domibus vulgare nomen manebat. Ibi Scaligera templum extruxit, addiditq; templo cognomen, vt Scalensis Virginis Ædes diceretur. Primus lapis positus est ad VI. Idus Octobris obeunte caeremoniam Archiepiscopo; impetravitq; deinde Scaligera à Pont. Max. vt sibi liceret instituere ibi Canonicorum Ordinem cum Antistite suo, vtq; sacerdotia illa gentilitia suæ domus essent. Per eos dies Archiepiscopus ipse, Clesusq; Mediolanensis cum rusticano etiam Clero ad expiandos mortui Galeacii manes cōsciueret, vt quas alle pecunias ex Ecclesiae bonis fructibusque coegil-

scet,

set, eas remitterent vltro, & condonarent cum eo sc̄i
licet, vt Ioannes Galeatus filius, & h̄eres Sacellum
in D. Antonij aede patris nomine extruendum cura-
ret. Sacellum positum est, pecuniaque attributa,
quac sexcentorum aureorum nummūm summam
ad nostrae hodie pecuniae aestimationem efficeret
in singulos annos; aliaque piacula Galeatij manibus
fuere. Anno qui sequebatur, Scaligera mortua est;
isque casus Bernabouem grauissime perculisse est
visus. In eo doméstico luctu, per omneis Imperij sui
partes litteras misit, quarum sententia fuit huius mo-
di. Bernabō Vicecomes Mediolani Imperialis Vica-
rius. Lugubrem nostrum casum, quo nuper affli-
ti sumus, significamus vobis, existimantes, eadem
fide, qua prosperis nostris laetamini, etiam aduersa
prosecuturos. Regina Scaligera carissima nostra
vxor diem suum objit; ita Deo placitum est, cui resi-
stere, nec possumus, nec debemus. Angimur tamen
vehementissime pro eo sensu, qui nobis à natura tri-
butus est, & ob peccata fortasse nostra percussi tali
plaga in moerore hoc iacemus. Ut igitur appareat,
luctus nostros vobis esse communes, utque magnis
Reginę virtutibus honos habeatur; volumus uos a-
tratos esse, vestemque lugubrem vt habeatis vnuſ
quisq; vestro sumptu mandamus. Hacc summa lit-
reratum fuit, factura vtique fidem animi vere Chri-
stiani, si quilibet alias talia scripsisset. Quia Berna-
bouis nomen epistola pr̄ferebat, satis id visum cur
simulacra inania pietatis & mansuetudinis irride-
rent.

rent. Obiit Regina Scaligera diem suum ad XVIII.
Cal. sextileis anno aetatis suae quadragesimo: Se-
pulta est in D. Ioannis A Ede, carmine adscripto, quo
religionis laus inter cetera magnifice iactatur. Sed
scriptores, quia temporibus vixere iisdem, quiq; aliis
narravere quae viderant pertulerantue iphi, super-
bam, impiam, audacem, & in ex parte bili cupiditate
mulierem hanc totidem vocibus appellare Scalige-
ram minime dubitauerunt. Eius maxime stimulis
praecipitem in omnia tyrannidis flagitia Bernabo-
uem esse actum, eademque matris disciplina filios cru-
ditos ad omne scelus nequiores etiam fuisse patre;
patrem vna cum filiis, & uxore, cocta & inita ha-
buisse consilia de Ioanne Galeatio interficiendo, ut
imperium omne occuparent, iuueneq; sublato, con-
sortium illud insociabile dominationis tolleretur:
Quae consilia, diu, sicuti credere licet, agitata inter
femiam iam tyrannum, & iuuenes turbulentos, & im-
mistrum marito prolique Scaligeram, postquam haec
decessit, in capita auctorum recidere cum adhuc agi-
tarentur. Nam iuuenis Galeatius, ubi considerando
attente patrui instituta, & vitam, patruelumque mo-
res, & male dissimulatam erga se inuidiam, nimium
blanditarum & fictae hilaritatis, quoties ex desti-
nato congregarentur, tristes, & magnae rei cogitatio-
ne suspensos quoties repente aditi deprehensiisque es-
sent, suspicari primùm aliquid coepit, deinde acrius
vehementiusque suspicari, postremò coniecturas ip-
se suas conferendo cum nonnullis aliis indicis quae

per

per exploratores, & amicos delata erant; eò peruenit, vt haud dubie rem totam, & orientes in caput suum insidias videret, sicuti ea, quae oculis cernuntur. Non erat facile effugium remediumque periculi imminentis, tenente Metropolim imperijque arcem ieinidiatore patruo, paratis ad eius iusta patrueibus, implacabilibus proximorum odijs vbi semel accensasunt, multo magis implacabili violentia, quam rabies in potentiae aemulum confortemq; principatus accendit. Unica spes etiam ipsi in fraude & do-
lo, vt peteret infensam domum ijsdem artibus, qui-
bus ab ea petebatur, malletque, quoniam eó ne-
cessitatis ventum esset, capere quām capi, & prodi
potius hoc memoriae, quōd patruo ipse manus in-
iccisset, quām quod foret ab eo imperfectus. Simu-
lat primum omnium vehementissimam animi sui
inturbationem, quasi tactus diuino spiritu, nihil
iam ageret cum mortalium rebus, attonitusq. mor-
talitatis fine, se se quamsanctissime ad suprema
comparare vellat. Nec fuerat antea ab studio imita-
mentisue pietatis alienus. Nunc enim uero, sumptā
laruā sanctimoniacē plane ipsius, remittere curas im-
perij, colloqui de morte tantum, & Paradiso cum
Minoribus Franciscanis, eorum quotidie aliquem ad
mensam adhibere, mensa vtiparciore, & modesta,
corporis habitu, & cultu videri ipse quoque Franci-
scanorum unus, nec in publico tantum oculisq; po-
puli, sed domestica, & interiore disciplina, vt falleret
etiam si quos in familia appositos sibi ab hoste pa-

truo

truo exploratores haberet. Prodibat ad templa quotidie supplicatum, & nudis aliquando pedibus iuit, stipatus tamen semper interea ceteruis armatorum, & auctis circa palatum excubijs ex fidissimorū delectu. Ea ipsa diligentia contemptum auxerat sui, tamquam inter alterius vitae curas, & moriēdi formidinem insaniret. Sic Bernabos interpretabatur, multaque apud eius filios in patruelē irrisio erat, ob mores, sicut ipsi existimabant, fatuos & absurdos, queis ab vita sensuq. communi ille alienaretur. Ne vi quidem alia opus esse in eum, cui mens animusq; sua sponte contabesceret. Peruagatus templa omnia ad Ticinum, & fatigato colloquijs solicitudinibusque de altera vita suis quicquid ibi sanctiorum hominum erat, dissipat hanc repente famam, quod Deiparac Virginis Aedem, quae supra Varisium in montis vertice est, adire vellet. Armat deinde peregrinationis eius causa exercitum, & post aliquot dies itineri sc̄e committit. Praecedebat ipse pedestris, cum nobilibus aliquot fortibusque viris haud sine pitorum comitatu quos circa se assidue habebat. Equitum turmae modico intervallo subsequebantur: pars militum antecessere, pars circumfusa principi nullo ordine ibat; accipiebanturque cuncta veluti per insaniam iuuenis, qui vellet se esse beatum, & panicis terroribus agitaretur. Bernabos, Ludouicum, & Rodulphum e filijs suis iubet obuiam exire peregrinabundo illi, fruiq; spectaculo, & partem eius etiā ad se se postea perferrere. Mox ipse quoq; exit, tamquam

quam debito honore erga fratri sui filium, & filiacem maritum, reuera, ut auerteret suspiciones sermonesq. hominum, & gratissimam oculis animoq. suo speciem ex illius insaniam usurparet. Ad D·Ambrosij Xenodochium obuij inuicem fuere. Ibi descendere voluntem ad pedes, Otho Mandellus, & Bernardonus Lonatus, quibus à Ioanne Galeatio mandatum erat, iniectis repente manibus in mulæ qua vchebatur habenas tenuere Bernabouem, statimque equites, & tela & multæ armatæ manus circumstetere ipsum & si iōs adeò destitutos ab omni ciuium caritate fideque familiarium, ut nemo gladium strinxerit, nemo inclamerit ad arma. Id ita futurum esse Galeatius videbat. Captiui ducti sunt in arcem Iouis, & domus ipsa Bernabouis diripienda plebi data, ut contacti præda illa ciues spem omnem pacis cum tyranno amitterent. Ita Ioannes Galeacius, depositâ repente simplicis animi personâ quam sumpserat, omissaque peregrinatione, & dimissis in sua claustra religiosis hominibus, quos ad scenam eam instruendam adhibuisset, imperium hac fraude omne adeptus, omnia callidissimorum principum consilia tractabat inter callidos tantummodo & armatos; conspiciebaturque ad malitiam Bernabou ipso nihilo deterior. Scriptit ad omnes Italiae principes de captiuitate patrui, consilioq. suo necessario, & quemadmodum patienda sibi ultima fuissent, nisi fraudes hominis appetentis Italæ dominatum ipse anteuenisset. Neque verò in caput tantummodo suum paratas ab eo fuisse insidias, sed om-

M m m neis,

neis, quicunque per Italiam opibus & fortuna aliqua, vel auctoritate possent obstatre tyrannidi, insidijs esse similibus appetitos. Contemptorem Numinis, irrisorem omnium religionum, postquam tēpla spoliaisset, Ecclesiamque pene sustulisset, generum etiam fratrisq; filium eundem tollere voluisse, nullis iniurijs nullouel lacesitum odio, sed tantū, quia propria quadam & insana sua ratione censeret, non posse eodem stare loco religionem simul & imperium & societatem humanam. Qui hoc animo fuisset in tuos, hunc facile existimari posse, quid in alienos meditaretur. Scriptis in hanc sententiā circummissisq; litteris addiderat Galeatus confessiones & indicia tremendatum rerum horribiliumque scelerum, partim, sicuti erant à Bernaboue cogitata vel admissa, partim, sicuti criminatori eidem, & domino facilè erat fingere aduersus reum, qui clauso iam in tenebris ore, spirituq; & animâ prope interclusâ nullam emittere vocem posset. Etiam si innocens Bernabos & calamitate indignus illa foret, notum tamen est, quid domi suae principes efficere per solertiam & obsequia ministrorum possint, vbi quempiam illigare iudicij forma necesse habuerunt, siue destinauere per iram. Tantò promptiora omnia erant aduersus eum, qui violenter, iniuste, auareque olim imperitando, plurimam nunc, & criminationi materiem, & animis alacritatem addebat ad comminiscenda in ipsum etiam ea quæ non admisiſſet; inspectoque quaestioneſſis volu-
mine, meritam poenam habere Bernabouem annue-
runt

runt ijdem illi qui audita captiuitate, exemplum magno pere improbarant. Sic Galeacius inuidiam auerterat à se omnem, patruumque sacerum, & patruelis ex tāta detractos fortuna, carcere obscurō clausos tenebat, ipse totius prouinciae imperijque Mediolanensis potens, nec ea satis opum & terrarum amplitudine more regum contentus. Ne victoria quidem ipsa contentus, & captiuitate suorum, incruentaq; posseſſione totius imperij, sustulit paulo post veneno patruum, eoque facinore mistam laude infamiam est aſſecutus, quia exemerat captiuum tam infelicis vitæ poenis, & rursus, quia noluerat saltem vitam relinquare ei postquam imperium lucemque ademisset. Datum est venenum per carceris custodes, infusumq; fuit delectabili phaseolorum cibo, tantâ negligentia famae quòd ad rem eam attineret, vt super eadem mensa conuersis repente oculorum pupillis & spumanti protinus ore vociferari moribundus senex inciperet, ac paulo post efflaret animam. Spatium tamen fuisse Sacramentis alij tradunt, & multa circa alteram vitam solitudine, religioſoq; conatu Bernabouem haec identidem verba pronuntiauisse COR M EVM CONTRITVM ET HVMILIATVM DEVS MEVS NE DESPICIAS. Ut expirauit, imponitur feretro calidum adhuc feruensque cadaver & mandatur tumulo, qui in D. Ioannis Aede ad Concam, sicuti hodie visitur, stabat. Namque ille, siue melior intimo sensu, quam inter imperitandi cupidines artesque videretur, siue deterior etiam, & nequioſ

Mmm 2 quām

quām fama hominum ferret, velut cogitatione supremorum extruxerat id sibi sepulchrum integra adhuc aetate, & sicuti metiuntur vitaespatia mortales, nō dum iuxta curriculi calcem . Exitium autem hoc clademq; Bernabouis antecessere prodigiorum monitus, quos facile ciuitas interpretata est, postquam mortuum in vinculis tyrannum, captiuos eius filios, & seruam in novo Imperio domum videbant . Palatium fulmine ictum , & pars muri quasiata erat . Rodulphus principis filius fulmine alio penè exanimatus : Insigne gentis vipera quae iuxta D. Georgij Aedem in palati fastigio steterat, deiecta turbine ; & pleraque alia cùm acciderent, neglecta , post retum mutationem , cuncta illuc referebantur . Sublata in hunc modum tyrannide , tyrannoque ipso , nouus princeps ante omnia operam dabat, ut & pietate in Deum, & mansuetudine in ciues moderationeque imperij diuersum se se praestaret ab eius institutis, in cuius captiuitate & nece , liberandae Italiae titulo usus fuerat . Simul hoc volebat assequi, ut memoriam nomenque eius diuersitate illa oneraret . Fortè per eos dies Templi maximitarris procubuerat ingenti ruina , vicinisque tectis illapsa moles, aedium hominumque stragem ediderat quā Canonici ipsi incolebant , & aliquot eō casu obtritos esse Canonicos fērunt . Ex reliqua multitudine periē ad ducentos, parque fere numerus mutilatorum, aut exigua in spe, trahentium animam fuit . Ea primū largi pīque & mitis animi materie Galcatius arrepta, materiem

ipse

ipse sermonibus tota vbe gatissimam honestimam
que dedit; quanto superum munere calamitas ea dilata
fuisset in principis huius tempus, quanta calamita
tis accessio, si altero illo imperitante accidisset, qui
ciuum & Ecclesiae malis lactaretur. Nunc, & prin
cipis impensa benigne curabantur, quibus in eo casu
decerat domi aliquid, & illius ruinosi aedificij casus, ini
trium & origo fuit Templi Deiparæ Virginis, quod
vnum hodie in terris visitur dignum magnitudine &
gloria Diuae, cuius nomini sacratum dicatumq. est.
Anno cī ccc lxxvi. qui Galeatij imperitantis alter
erat, prociderat turris. Ad xvi. Cal. Iunias anni eiusdē,
magnificis verbis adhortate populū Clerumq. Galea
tio, & hortamenta maiora pecunias thesaurosq. suos ad
inchoandum opus profitente ac deponente, sterni ac
dejsci cœpta est Mariana Aedes, obscurior, & humili
ior illa fortasse, quam pro reliquo splendore vrbis, &
Metropolitani nominis maiestate. Annum fere tonū
tenuere, demolitio veteris Aedis, & deformatio no
uae, quae accitis vndique architectis, apud Principem
Galeatum, & Archiepiscopum Antonium, circino
& graphide quotidie adornabatur. In sequente Maio,
constituta nouae molis forma, purgataq; ruderibus a
rea, et fundamitis apertis, primus lapis est positus, isq;
dies fuit nonis Maij. Quem hoc loco ponit & ad
scribi diem oportuit, ut nota essent primordia operis,
cui per ducentos amplius ab eo die annos adlabora
tur, & fore aliquando finem homines desperant, ijdēq.
Gmul admirantur, potuisse tam breui acuo continuis

ar-

artificum etiam omnium laboribus, & continua pecuniarum omnium erogatione fieri id quod vident. Adeò, cùm stet Aedes amplexa quicquid miraculorum ars & pecunia depromere & ostentare poslunt, cumque tantae vrbis populus in vasto illic & capacissimo sīnu, beatarum sedium imagine contentus attonitusq. fruatur; requirunt tamen, quaenam ingenia mortaliū, & annorū spatia, & naturae ipsius opes sufficiantur; vt frons fastigiumque templi absoluantur, vtque ab rupe, & Verbanō Lacu transuehantur in vrbem excisae iam & praeparatae in vestibulum columnae dongitudine ac diametro, quantam profana antiquitas ne cogitare quidem ausa est. Hanc nouae Aēdis ichnographiam, ortographiamq; & scenographiam ex Germanica Symmetria trigonali ratione norma peræquata confectam, & multorum dierum consultatione tractatam, inter Archiepiscopum, & Principem, & architectos, aliosue primores vrbis, probauere & suscepere, nulla cura quod ad sumptus infinitos talis fabricac attineret. Nam, & ciuitas vniuersa studijs exarserat immanibus, & princeps ipse Galcatius large aceruos proferebat, cùm scilicet in D. Nazarij arce, quae nunc Xenodochij maximi sedes est, tantum argenti aurique, tum rudis, & infecti, tum facti, & signati reperisset, vt plaustris per aliquot dies compluribus inde eueheretur. Augebatur inde una cum opere ipso principis animus ad molem attollendam, qua nulla toto terrarum orbe conspectior foret, nec minor gloria ciuium animos attollebat, vt non quo-

quotidianis modò largitionibus, sed fundis atque
reditibus, & hereditatibus saepe totis fabricam eius-
modi instruerent. Atque in tantum postea splendorē
tantasque diuitias res venit, ut cùm opificij magnitudo
quantam libet posse pecuniam exhaurire videatur; pa-
trimonium tamen aerariumq. hoc fabricae ipsi super-
stes fieri necesse sit. Eritq; tempus olim, cùm supra,
infra, extra, intra, absoluto opere, certatimque reful-
gente marmore & auro, spirantibus vndique simula-
cris, & altero hoc statuarum populo prouocante ho-
minum pietatem, etiam sacra supellestili iam destitu-
ente impensas, cogitabunt praefecti quid pecunijs illis
facere redundantibus debeant. Tanta liberalitas, &
munificentia populi Medicolanensis fuit. Quod si
mihi, peractis in quaerendis, parum per adhuc agere
ista licitum fuerit, volam vtique exhilarari exponendo
fabriliū harum Ecclesiae Mediolanensis opum ma-
gnitudinem, & statum, earumque cœconomiam, &
administrationem ad magnæ Reip. formam; scilicet,
vt regatur ab Cleri ciuiumq; primoribus, vt inter or-
dinem vtrumque prouinciae comparentur, vt sua sin-
gulis munera, cunctis authoritas & suffragium, cor-
pori demum vniuerso caput, & aliquando dissidia, que
semper oportet esse ibi vbi sint magna negotia, et pa-
res animi. Simul, domestici marmoris copiam, gene-
raque et varierates, et proprias venas, delectum artifi-
cum, ac sacropatente campo nobiles officinas, ope-
rum aestimationes, constituta stipendia architectis,
causarum actores, litiumq; patronos, et scribas, et om-

nc

ne ministerium, partemq; iurisdictionis & imperij,
omnia sedulò exequar cum bona recordatione et lau-
de maiorum nostrorum, qui tantas ad Deiparæ cultū
opes contulere. Longe verò gratissima atq; ad animi
mei solatiū aptissima descriptio erit ipsius Tépli, quod
magnoe provinciae instat, vagandi per singulas par-
tes, in longum, in latum, sursum ac deorsum, intrā ex-
traque, ab itinis fundamentis ad summas coronides,
spatia ampla præbebit; et per uagatio ista iustum pro-
priumq. sibi volumen requiret. Nam sicuti Græcus
Pausanias, deducta per terram eā vniuersam narratio-
ne, quoties stylo gradum fecit, reperit res historia di-
gnas, parique passu procedunt ibi locorum nomina,
et res inclytæ ac memorandæ: sic nobis in tra-
denda Metropolitanae Ædis forma, ad singulos fe-
re lapides, aut artis eximiae, aut sumptus immensi, aut
mysteriorum insignium contemplatio occutsatura est
successuraq. vltro sub styli acumen. Interim, demon-
strasse sic sufficiet operis initia, quod anno eo salutis
humanae millesimo trecentesimo octogesimo septi-
mo sub Ioanne Galeatio Principe urbis, et Antonio Sa-
lutiense Archiepiscopo inchoabatur. Eodem anno,
Angleriam, Tainum, Guarnisum, quæ loca fuerant
Ecclesiæ Mediolanensis, Pont. Max. Catharinæ Ioan-
nis Galea cij coniugi cōcessit, imposita, vectigali mar-
ca, testandi causa iuris ea loca esse Ecclesiastici; et su-
blati aut omissis veterum certaminum causis fida
tranquillaque erant omnia Vicecomiti cum Apo-
stolica Sede. Ceterūm, cum laeti nouo imperio Me-
diola-

diolanenses datum sibi diuino beneficio Galeacium
& perpetuam sub eo pacem inter se se gratularentur;
Bellum Veronense aderat, haud quidem eius hostis vi-
ribus & nomine magnopere timendum, sed ob adiun-
ctas Scaligero gentes principesq; alios, nō minus gra-
ue ac terribile Metropoli, quam alia, quae ad eam diem
bellata erant. Antonius Scaliger erat hoc tempore
Veronae princeps sub Vicarij Imperialis titulo etiam
ipse tyrannide exercēs haud vñquā amicus homo Vice
comitum genti, semperq; molitus aliquid palam siue
secreto, quo dominatus iste elideretur. Praecipue au-
tem obstare voluerat, ne Germanica matrimonia, quae
dixi, inirentur, & serendo maledicta in Vicecomitum
genus foedera ea penē disicerat. Insuper, afflictis & du-
bijs ad Brixiam rebus accedendo ipse, & fouendo ibi
hostem, aut instigando, difficiliora omnia Mediola-
nensibus effecerat. Spes quoque & consilia pacis incū-
dae cum Patauino, maligne turbata per eundem; &
quoniam haec ipsa fortè ianotuerant, damna alia gra-
uiora, vel iam intulisse occulta, vel in posterum illatu-
rus esse credebatur. Cum tali homine bellum apertū
quam pacem infidam habere Ioannes Galeacius ma-
lebat; ac veterem populi Romani morem usurpans,
repetito, quicquid hostiliter ac maleuole in se ille ten-
tasset, siue admississet, ob talē animum, & talia facta
publice amicitiam ei renuntiauit, bellumq; indixit.
Perculsum ea denuntiatione Scaliger, cùm reputaret
imparem se vi aperta tanto hosti, fraude. qua cetera
egetat, vñendo purgabat insime obiecta, Galeatumq;

Nnnn ipsum

ip sum compositis metu , & adulatione vocibus , &
Patrem , & Dominum fallacissime appellabat . Extat
enim utriusq; literae , alterius quidem , scriptae seuere
ac dolenter in perfidum amicum ,implacabilem hostē,
ob eamq; perfidiam & acerbitatem , rem ad arma de-
ducentes , alterius verò , tam humiliter & abiecte depre-
cantes iram , ut ea ipsa deprecatio & abiectio indicium
esse posset animi captantis aptiora sibi tempora , & cre-
dulitati alienae insidiantis . Postquam inuicē ea scrip-
sere , Galeatus haud minor talium artifex , ut qui vitā
imperiumq; cum domesticorū hostium pernicie fin-
gendo etiā ipse adeptus esset , intellecto astu & contē-
pto , nihil ultra verborū super ijs rebus effatus exequi
bello parat , datis tantummodo ad Florentinos litteris
ut iustum id necessariumq; esse bellum scirent . Euē-
tus belli minus cruenta fecit omnia quām publica ex-
pectatio & vrbis metus fuerat . Quippe inducto in
Veronensem agrum exercitu Mediolanensi , vicissimq;
Scaligero , suis & amicorum copijs ad vim arcendam
impigre coorto , cùm res ab utraque parte in magno
discrimine esset , capta momento penē vno per dolum
vrbis Verona Scaligerum ipsum , & foederatos fregit ,
cunctaq; ei hosti subiecta loca Metropoli accessere .
Dolus autem , per quem capta sine sanguine Verona est ,
res quaedam huiusmodi fuit . Eiecerat Scaliger pa-
triā Gulielmum Beuilaquam , vel potius , iste fugiens vī-
tro reguli illius violentiam , contulerat sese Mediola-
num , in opulenta hīc aula magnaque vrbē , tutam &
honoratam reliquam sibi fore vitam credens . Quae
spes ,

spes, cùm cum minimè fefellisst, inter cetera com-
moda & ornamenta, quae in altera hac patria est asse-
cutus, bello etiam hoc Veronensi Mediolanensis exer-
citus Imperator rem vniuersam militarem in potesta-
te habebat. Benaci oram cum villarum incendijs, &
agrorum vastatione perpopulatus, multas munitas
arces, & pleraque opportuna loca ceperas, non procul
à spe capienda vrbis, quae iam acerrime oppugnaba-
tur. Sed, ut dixi res magni discriminis erat; validaq.
munimenta, & pertinacia defensorum fœdam in a-
ditu dimicationem ostendebant. Tunc ille, clandesti-
no colloquio corruptis nonnullis, quos ibi in vetere
patria fidos adhuc amicos habebat, rationem cum il-
lis hanc inijt, ut facta eruptione, captiuos secum in
vrbem traherent fortissimum quemque Mediolanen-
sium, qui præparati in id ipsum, absque periculo vel
certamine ullo, in manus, & vincla ipsis traderentur.
Ferme sub auroram, obscura adhuc luce cùm erupis-
sent, redissentq; proditores ouantes captiuorum ag-
mine quos ducebant, dato familiari signo recepti in
vrbem, aliquantum à porta, qua exierant redierantque
progressi, demunt raptim facta illa vincla Mediolané-
sibus, & conuerso ad portam eandem gradū vigiles
obtruncant. Ita patuit exercitui aditus in vrbem, Sca-
ligerq; ad primum tumultum consenso equo, vocans
ad arma, nomenq; suum inculcans, vbi resides statu
vniuersos vidit, elapsus scapha per Athesim fluuium
Venetias suæ ipsæ cladis nuntius cùm insana trepida-
tione appulit. Cuncta, quae ille possederat, & vrbis

Nnn 2 Vicetia

Vicetia praelertim, anteā multūm expedita Vicecomitibus, ad Galeatium Metropolimq; peruenere; arma inde Mediolanensium in Patauinum Carrariensem incubuere, tum fortuna, tum ingenio similem hostem ei qui fractus nuper subactusque erat. Paruum is quoque imperium vasto tenens animo, violentia in subiectos, in superiores inuidia, malignitate in omnibus, ut regulus ac dynasta, nimium potens, ut Regum quispiam nimis inops, leque & alios assidue inquietabat cū neque intra fines consistere illos posset, & in aliena trā. Scendere volentem destruerent vires, fortuna semper aduersa retineret. Praecipue, cum ista Vicecomitum domo agebat acumulatum, in eo ipso Scaligeri olim acmulus, & sicut ille, per fraudes fere occultas, quia bello aperto impar. Vomicam etiam hanc tolli longe venientem oportere Ioannes Galeatius existimans, ut imperij securitatē, & vitae quietē haberet eam, cū qua reliquos suos dies agere destinabat, mislo in Patauinos exercitu, assumptis in expeditionem auxilijs, leui negotio, propter alienatos illic ab tyranno omnium animos, tyrannum subegit ipsum, ut populi impetum timens, se suaque omnia, liberos, vxorem, urbem, arcem dederet, ne ciuium suorum manibus, id quod prospiciebat fore, laceraretur. Haec victoria Vicecomitem extulit ingenti gaudio; & sicuti cuncta prospera ad Deum Virginemque Deiparam, referre solitus erat, edixit, ut per omnia imperij sui loca supplicationes per triaūm haberentur. Edicti forma haec fuit. Benignitate Numinis aeterni, semperque alio

alio super aliud erga res Mediolanensem diuinæ indulgentiae munere esse factum, ut Patauinus imperiū omne quod tenebat, desperata eius defensione permitteret in suam, & populi Mediolanensis potestatem. Id sibi accidisse gratissimum, quia domitis vndique hostibus, & parta per terras omnes pace, facultatem iam denique optatissimam illam habiturus sit agendi tranquille & quiete cum subiectis suis id vitæ quod superesset. Pro tanto celesti beneficio, licet inter huiuscæ mortalitatis miseras nihil vicissim erga Deum Opt. Max. fieri pie satis ac reuerenter possit, censere se tamen honorem diuinæ maiestati vtcunque esse habendum. Proinde, supplicantes populi ad sua quique tempora procederent, Christumque Saluatorēm vñā cum sanctissima eius Matre venerarentur ob id munus. Datae sunt literæ Abiati, quo se se princeps ob pestilentiae metum contulerat; diesque & annus in ijs litteris adscriptus xxvi. Cal. Dec. cīo ccc lxxxviii. Eo anno centeni quinquageni viri nobiles e singulis urbis regionibus, quod publicum concilium erat, per suas quique paroccias de more congregati, dedere Othorino Mariano, Ioanni Casato, Ioanni Pusterulæ, Odoardo Conrado, Ioanni Carnago, Francilco Mairolæ, Georgio Moresino; his omnibus dedere mandatum, vt Reip. Mediolanensis nomine in verba Ioannis Galeatij Viccomitis iurarent. Iurauere, subiectam & obnoxiam fidamq; principi ciuitatem fore, ratumq; testamentum habituros esse, quodcunq; ille recte, & ordine fecisset. Idem dixerat sacramentum Ioanni Mariae filio infanti

qui

qui anno eodem ad Abiatum natus Principi ex Catharina uxore erat; dixerantq; parentes id pueru nomen ex voto, quod nunc uparant, dicantes Sanctissimae Virginis Mariæ prolem, quæ ex eo matrimonio nascetur. Non deinde Clerus populusque Mediolanensis fruebantur ea pace, & felicitate, quam sub tali principe expectarant, quamue princeps ipse iactando atque ostentando sermonibus & spe vana semper, nondum re ipsa patriæ exhibere potuerat. Quin immo deduta res in eum statum est, ut onerati tributis immodicis sacerdotes, tempora illa desiderarent, quæ sub Bettinaboue detestati erant. Causa, non tam ex principe ipso, quam ex communi imperitantium conditione, ut diu alijs molesti, postquam vellent ipsi quiescere non possint. Nam vbi ad pristinum Mediolanense Imperium adiuncta Veronensi & Patauina restanta potentia Vicecomitis erat; inuidia, metu, dolore protinus excitati, quos irrita aliqua cupiditas, vel imminentia peticula, vel accepta damna stimulabant, coniunctis inter se viribus Florentini & Veneti Scaligerum & Carrariensem profugos ad se & supplices tamquam misericordia & fauore amplexi ob suam pars utraq; utilitatem restituere pullo Vicecomite conabantur in sedem unde per eum detracti pulsique erant. Hinc bella & calamitates principi urbibusq; subiectis, & maiorum omnium summa redibat in urbem nostram. Iubilaeum hoc tempore Romae fuerat, exactoq; iam seculari anno, Vicecomes aegre referens quod homines sui propter continua bella, peregrinationis & Indulgētiæ

iae fructu carruissent, impetravit à Pontifice Bonifacio, ut Iubilaeum idem ex Romana formula Medioli-
ni esse veller ac iuberet. Placebat Pontifici occasio
expiandi tot secessionum flagitijs antea temeratos In-
subres, plenissimæq. Indulgentiac munus hac formula
concessit. Omnes, qui sunt in Vicecomitis imperio,
viri, seu feminæ, ciuilis ordo sacerq. qui peccata suæ
tite confessi dolenterq; detestati erunt; Indulgentiæ hu-
ius munere ac virtute liberantur noxis omnibus atq;
absoluuntur. Peregrini, qui consequendæ Indulgen-
tiæ causa ierint in eam urbem, per decem dies Medio-
lani commorabuntur, ibuntq; ad tempora supplicatū.
Tempora autem haec erunt, ad quae supplicabitur. D:
Mariae Virginis Aedes, D. Nazarij, D. Ambrosij, D.
Lauréti, D. Celsi. Ad tempora ista qui poterunt ac vo-
lent eleemosinae nomine donum dabunt, augendo il-
lic cultui diuino, templisq; ipsis ornandis atque exco-
lendis. Conuenere Indulgentiac causa magna Me-
diolanū multitudo; cumq; statuta & finita exiret dies;
protogauit eam diem Pont. Max. adiecitq; treis adhuc
menses, intra quod spatium aditus ad celeste id munus
pateret. Versa tota in religionem Ciuitas, eademque
pietatis nunc etiam alienæ domicilium, minime
tamen interea sicut dixi requiescebat à bello, quod
præter primas in Vicecomitem Metropolimque ex-
peditiones, facta omnium fere Italiae principum
coniuratione vi tota motum repente erat. Nam
Veneti, & Florentini, verecundiâ fœderis, quod
ictum cum Vicecomite habebant, gesserant velut

ex

ex occulto bellum, magisque induerant arma ex-
sulibus illis Carratiensi & Scaligero, quām armati
palam ipsi prodicerant in ullam aciem. Nunc palam
omnes Italiae dominatus armabantur principesq. etiā
externos traxerant secum; & fama sive, Pontificem
ipsum Bonifacium, quamquam ad animatum salutem,
Iubilaeum pastorali animo mitis indulgensq; conce-
sisset, tamen huic infensum fuisse potentia, dānosamq;
& periculosam eam Ecclesiae rebus existimantem, cæ-
teros ad coniurandum incitasse. Certe, cūm id prin-
cipum Italorum fœdus, & pæta inter iplos armorum
societas Mantuae promulgaretur, titulum ei fœderi ac
societati praetulerere hunc; autoribus Pontifice & Cae-
sare, coniuncta esse arma remq. suscepit. Armeniaci
comes Caroli Galliae Regis gener erat, magna virtute
& fama, quam diuturna per Gallias Hispaniasque
militia, & prosperis in utraque parte expeditionibus
nobilitarat. Hunc aduersus Vicecomitem in Italiam
excuere fœderati, praemissa ad eum grandi pecuniae
summa, ut ea pignus esset ingentium aliarum recum,
quas longe supra pecuniam etiam aestimatas, quō
promptius expeditionem iterq; capesseret, ostentarat.
Policebantur enim eius militiae pretium, Castella &
arces, & Vicecomite pulso stabilem in Italia sedem, &
quamcunque aliam victoriae partem ipse exoptasset.
Dictum tamen secretò inter nonnullos, creditumque
fuit, non tam mercede illa promissisque fœderatorum,
quām socii regis dolo Comitem eum Armeniacensem
in Italiam esse adductum, remque verecunde occultata
ob

ob recens cum Valentina matrim onium, quae Galeatij
ipsius filia Ludouico Regis fratri nupta erat. Gallum
Regem irrita semper spe, semperq; miserabili ad exi-
tum conatu, iam inde ab eo tempore imminentem huic
Metropoli, stimulasse generum hunc suum, ut per oc-
casionem inuitantium fœderatorum in Italiam profe-
ctus, simul moliretur in re ista Mediolanensi aliquid, si-
mul Pontifici Bonifacio, cui Pseudopontificem Auc-
tionensem ipse opponebat, infesta omnia efficeret,
atque etiam data opportunitate palam cum oppugna-
ret. Profecto, hominibus Gallis cauendum semper
erit, ne, vel cupiditate sua, vel consilijs alienis inducā-
tur, ut res tentare Italas velint, & exempla haec in om-
ni illic regio colloquio & Senatu pro documentis esse
decebunt, quoties de transitu alpium deliberatio inci-
derit. Nam, nisi ipsae ab natura interiectæ alpes, atque
tot luctuosí casus exercituum, ducumq; & regum, qui
transgredi voluere, constituisserent disciplinam refugien-
di proculab hoc sepulcro Gallorum Italia, poterat vel
ipse Comitis Armeniacensis casus ante ducentesimum
hunc fere annum, execrabile & horrendum Italiae no-
men in perpetuum facere Gallorum genti. Ducebat
Armeniacensis armatorum ad decem millia veterani
militis, & sub victore semper duce vincere assueti;
neque clariores alios bello viros bellicosissima natio
celebrabat. His ad alpium ipsarum radices con-
iunxere sese copiae aliae, quas fœderati regione illa
præparauerant, ut transgresso in Italiam Gallo, præsto
essent atque associarenrur, quo terribilior ad Metropo-

Ooooo lim

him inuadendam exercitus vniuersa statim mole ducere-
tur. Florentina legatio cum præfectis & curatoribus
bat Armeniacensi comes, ne quid exercitui deesset, vt-
que per compendia viarum expedito agmine Galli
irent. Per Salinas, inde per Taurinos progressi Alexan-
driam uersus, dum pleno gradu Mediolanum, & fero-
ces & laeti vicinitate tam expertiae urbis recta conten-
dunt, triste præsgium vicinae cladis, & in eodem ferè
loco tristiorum cladem habuere, quae Mediolani causa
gaudiorum ingentium, solenniumque supplicationum
fuit, quamuis, vt dixi, ob nouas illas in media pacis
expectatione milerias aerumnasq; bellorum moesti
omnes, & tributis onerati immodicis iacerent. Vnum
ignobile castellum seruauit in tali tēpore Metropolim,
perdiditq; Gallos, & memorabile in omnia facula mi-
litarium flagitorum exemplum edidit. Nam nisi loci
cuius oppugnatione retineri sese passus esset Gallus im-
perator, foretq; strenuè prosecutus iter suum itaut veni-
re & adesse Gallos fama eadem ferret; fortasse inter at-
tonita & superioribus fessa bellis omnia sine certamine
victor & cuncta camporum tenens ad moenia ur-
bis accessisset; ac cetera deinde Mars anceps & urbis
fortuna decretura erat. Tunc ignobilibus adsidendo
moris exitum statim habuit eum infelicem. Castella-
tium nomen est loco, quem ex itinere occupare Galli
concupuerunt, ridiculo consilio, nisi si potius Deus ip-
se, vel ira in illos, vel nostri cura vecordiam eam duci
militibusq; iniecit. Admotis machinis & omni oppu-
gnandarum urbiu[m] apparatu, cùm hinc quaterent stic-

nuc

nue muros, hinc circumiecta popularetur, die quodam
oppidani meridiano tempore (& etat sexili forte men-
se calores magni) speculati incustodita omnia, dum
hostes aut sedent dormitantq; humi, aut per casas, &
tentoria ludibundi terunt tempus, pars vagi, & palan-
tes, pars sub vexillis & agmine praedas agunt; eruptio-
ne facta escas ignis circumdedere tecto quo trecenti
amplius equi abditi erant, & parem fere hominum nu-
merum strauerat ibi iuxta equos ex vino & aetu gra-
uans corpora somnus. Arsere ibi cuncta momento
pene uno, nec prius sensere Galli incendium, quam
tunc cum fumo & vapore flammisq; inuoluti, neque
oculis, neque animo competebant ad ullum in tali di-
scrimine necessarium & salutare opus. Accurritur un-
dique ad id spectaculum, & Armeniaensis ipse trepi-
do nuntio excitatus, cum ambusta cremataq; omnia, &
informes equorum hominumq; figuras inspexisset, ne
casu quidem eo admonitus erroris sui, quo tamquam
alter Annibal circa partes minimas infelicissime distri-
ctus expedire sese caputq; petere ipsum nesciret, omissa
adhuc vrbe Mediolano, cuius potissimum causa traiice-
rat alpes, pergit stimulante insuper ira castellum oppu-
gnare illud. Simul ad vicinae vrbis moenia cum exer-
citus parte progreslus, minitabatur ei vrbi excidium, &
viles inde exire Lombardos iubebat. Eius verò vocis
contumelia & indignitate permotus Iacobus Vermus,
qui collocatus ibi ab Ioanne Galeatio cum Metropoli-
tani exercitus parte erat, exit ad pugnam cohortatus an-
te milites suos, ut insultantem barbarū cogerent vo-

Oooo 2 cem

cem mutare, quam stolidi iecisset; docerent non viles sed generosos esse Lombardos. Qua porta cum duce suo exierant Metropolitani, contra eam multitudo conglobata Gallorum constiterat. Inter contumeliose insultantes, & contumelia irritatos districti confessim gladij, & quicquid telorum, in hac, vel in illa parte erat. Dimicatur confertim & passim, tumultuariè magis, quād ordine villo, pugnandique ordinem suus cuiq; impetus, sua præbet ira. Vir virum saepe amplexus detrahit equo, fodiunt oculos, ora mucronibus querunt; & aliquandiu veluti locuta quædam ex equis erat, irruente in mortuum Metropolitanum semiuio Gallo, vel expirante super exanimem Gallum Metropolitano milite, dum cuneus, & turbo ille pugnantium glomeratur. Sed pellendo inuicem sese, ac trudendo, paulatim in vineas nexus traducum impeditas deuenere. Ibi Gallus Imperator, Armeniacensisque Comes, multis antea victoriis clarus, bello hoc missus ad oppugnandum Pontificatum, capiendamque Metropolim Italæ arcem, acto forte in traduces eas, & palos, & vtilia equo, dum bellua irretita iactat ferociter vngulas tantoque magis implicatur; euolutus ipse, siue sponte desiliens, ab iis, qui casum viderant, facto repente concursu comprehenditur, & velut immanis fera oneratur vinclis, atque pertrahitur in arcem. Quod vbi captum abductumque videre Galli suum Duce, ita concidere animis, ut nullo negotio caperentur ipsi quoque, aut cæderentur. Namque, preter cum terrorem, & caliginem offulam ab tali spectaculo repente animis, etiam mollia

lia corpora, nec ferentia aestus vltro fatiscebant. Qui validiores fuere, fuga arrepta, tenebrarum beneficio (nox enim interuenierat) aliquot millia passuum praecipere continuo cursu, donec insecuris nostris oppressi retraherentur. Miraculo penè fuit, quod mille Mediolanenses decem millia Gallorum vicissent; nam tantum in utraque parte fuisse numerum constat. Florentini curatores, & legati, qui deduxerant infausto itinere exercitum, etiam in vincla comites iere. Nunciata ea Mediolanum, tanto laetiora fuere populo Principique & Clero, quò tristior vulgatorque erat in vībe fama veterum irruptionum Gallicarum, cùm scilicet onustam rerum nostrarum præda gentem trucidassent sub oneribus ipsis, haud sine mutua clade maiores nostri passi res insuper ab iisdem alias, quarum deformitatem fuso per vias vniuerso prædonum sanguine eluere coacti esserent. Nunc, quia tam abominatae memoriæ hostem prouinciae iam ingressum limina, ducis error, & præsens Numen, virtusq; milium ad fines in statione locatorum oppresserat; res digna visa est, quae pietate, & gratulacione publica celebraretur; & Principis iussu, nocturni tota vrbē fulsere ignes, supplicationesque de more habitate per triduum. Captiui, paucis post diebus ademptis armis, & equis, dimissi omnes, præter paucos, qui monstrabantur a ceteris ob diuitias & splendorem. His enim edita pecunia summa, quam ab domo accirent; & donec pretia redemptionis adfuere, in vinculis retenti. Armeniacensem ipsum primo captiuitatis, die mortuum esse ferunt, siue agitatione tanti calus & mœrore animi,

animi, siue hausto clam veneno, quod regio barbarico more ad dubia fortasse abditum gerebat. Hunc exitum habuit Gallica in Mediolanenses expeditio. Nec felicior alia, qua fœderati Ioannem Acutum patrem delertorem eodem tempore miserant ad vibem inuadendam, certa prope victoriæ spe, si, hinc ab externo exercitu, hinc ab transfuga, & preditore circumcederemur. Is ab Patauio cum sex millibus armatorum per Veronenis agri fines expedito agmine progreßus in Cenomanos trajecto Ollio amni, constiterat iam in Abduae ripa transiturus, nisi audita Gallorum clades, & conspectac trans flumen Mediolanensi copiae auerterissent. Simul, parte ab altera ex transuerso aderant nostri, quos Vicecomes ad primum nuntium eius aduenientis hostis, ponte, qui erat ad Tritium pagum, propere transgressos immiserat. Itaque, dupli ci terrore obiecto Acutus, & ad ea arma, quae sibi imminere videbat, accedente Gallici casus fama, fugere maturauit, euasitque non paruo dedecore militum nostrorum, de quibus proditum ita scriptumque est. Ne lanceam quidem iucunam ipsos infregisse. Et fœderati quidem haec aduersus Vicecomitem Metropolimque tentarant. Vicecomes autem & Metropolitani, odio vicissim & ira in eos, haud multum dissimili fortuna quacunque opportunitas aliqua inuitarat, promoto bello hostilia cuncta moliebantur; Florentinosque presertim prohibitis terra marique commictibus, vrgebant fame, ne ipsi quidem tam procul ab domo expertes eius calamitatis, maloq; illo postea redire domum coacti. Soluendæ tamen obfisionis

Iridionis initia primasque causas alij referunt ad Pontificis Bonifacij consilium , & dignam summo Pastore actionem, qui conflagrare bello res Italas videns , seques sermonibus, & opinione hominum inter concitatores eius esse belli , ad demendam tantam sibi labem animosque placandos , curas authoritatemque conuerterit . Reperio venisse ab Roma de pace legatos ad Vicecomitem , principemque Legationis Ricardum Carraciolum antistitem Ordinis Hierosolymitani suis . Eo arbitro conditiones pacis agitatas depositaque arma ; pacem ideo minore per Italiam laetitia accep tam , quia fuerit in conditionibus , ut ex eo anno per quinquaginta annos dena millia florenorū nummūm Carrariensis Mediolanensi tributum annum ferret : Ea res inuidia & dolore solicitabat adhuc animos ; & infida cernens omnia Vicecomes infidus ipse vicissim , renouauit cum Galliae Rege fœdus, petens inde praesidium aduersus hostes alios , & adulacione ea hostem hunc ipsum fallens ; ac tunc primū Gallica lilia stēmati Vicecomitum accedere , dum imperij causa cuncta seruiliter ad gratiam obsequiumque exquiruntur . Nondum exierat alter ab inquieta illa , & sollicita , inuicemq; suspecta pace annos , cùm manentibus ijsdem animorum stimulis inuidia & liuore aduersus alienas opes , rursusque ira & metu in parte cui inuidebatur , ad noua fœdera , nouasq; coniurationes intenti erant . Ad Vincislauum Caesarem vtrinque missi in Germaniam Legati , pro ceteris exposcebāt illius arma , vimque & authoritatem ad vindicandam Metropolim , Vicecomitemque

temque dejciendum, pro Vicecomite precabantur, ut
rem potius ipsam quam inimicorum calumnias spectan-
do, tu eri vellet antiqua Caesarum beneficia erga do-
mum gentemque eam, neue opes Imperij commodaret
hominibus, qui clarissimæ domus ruina subsidiū fidele
adimere imperio conarentur. Miserat Vicecomes inter
legatos oratoresque suos Petrum Philargum Creten-
sem Episcopum Nouariae, qui postea Cardinalis, &
Mediolani Archiepiscopus fuit, deinde delato Concilij
Pisani suffragijs ad eum Pontificatu, Alexander est no-
uo nomine appellatus; eiusque viri decora, & si quid in-
ter magnas virtutes habuit etiam humanæ labis, postea
exponemus: Nunc, & in ea legatione caput rerum
ipse erat, & praeter communia cum socijs mandata,
ferebat illud scorsim, ut postquam ea confutasset, quæ
foederatorum legati criminarentur, offerret quantam-
cumque pecuniae summam Caesari, si Ioannem Galea-
tium creare & appellare Mediolani Ducem vellet. Ac
tanta fuit, siue viro prudentia & dexteritas ingenij, siue
pecuniae quam ostendebat illecebra, Caesari ut spretis
quæ aduersus Vicecomitem afferebantur, iuberet esse
Mediolani Ducem, diplomataq; & literas, & quicquid
aliud rei confirmanda adesse oportebat, admodum
prolixè concederet, minime occuli interim contrariæ
legationis quaerimoniâ, crebrisque susurris, quod, aut
fides non habita sibi esset, aut recti prauique discrimen
omne confunderetur. Legati Mediolanenses, re felici-
ter gesta, & impetrato, quicquid princeps optare suus
potuerat, laureatas praemisere ad ipsum literas de fau-
stissimo

stissimo negotiorum omnium exitu, quibus litteris allatis, confessim Aquilae insignia imperij, Principis iussu Mediolani locis omnibus attolluntur; & adulatio in Caesarem per cuncta oppida subiecta Metropoli cadet erat. Paulo post, legati ipsi adfuere, Ciuitate erecta noui nominis admiratione, cuius honorem ex Germania afferebant. Nam vetera illa, Vicarius & Rector Dominusq. & Princeps, aut ministerij seruulis, alienarumq; rerum titulum praeferebant, aut ambitiose & callide usurpata, veluti farta quaedam agnoscebantur. Etiam, cum populi Duces dicerentur, leuis quaedam, & permista in tempus, obsequijque magis quam imperij appellatio ea erat, quia nimis poterat populus idē Magistratum auferre qui dedisset. Nunc Caesar vna cum Ducis nomine, populos ipsos, sceptraq. & diadema dabat, iturā ad filios & nepotes possessione imperij, tamquam parentes auique ipsorum in eadem fortuna nati fuissent. Adiunxerat Caesar redeuntibus domum legatis suum ipse quoque ad Mediolanenses legatum Benesium nomine, qui in publico Ciuitatis concilio iuditium ac decretum id de Vicecomite suum exponeret, ipsumque coronaret. Is Benesius petito Senatu (Senatus tunc erat octingentorum Concilium) dixit de Vicecomitum gente, Galeatijq; meritis falsa & vera quae voluit, & quomodo Caesaris maiestas, principatum vrbis in ea fundare domo statuisset ciuium praesertim ipsorum causa, ne vrbs & Metropolis tanta ob incertum ambigunmq; regimen, exposita foret seditionibus suis, cupiditatī alienac, belloque semper in-

P p p p festa-

festaretur, siue appeterent eam externi, siue familiae intus potentes, fluctuans & vacuum aliquando Regnum occupare vellent. Nota Senatui necessitas erat, in qua prima quaque patiendo & admittendo, deducta sibi publica res foret, nec responderi quicquam attinebat, praeter pauca illa solitae & meditatae adulatiois; ut felix, ut laeta ciuitas esset prouidentia Caesaris & cura, ut ipsius de Vicecomite iudicium, atque consilium nihil ab ciuium singulorum existimatione & voluntate discreparet. In campo, qui Ambrosiana Basilicae circumiectus est, coronandi caeremoria Ducis peragenda erat. Ibi ad valuas, quae spectant in solis occasum, pegma amplissimum, et geminum in pegmate tribunal adstructis ad ascensum gradibus, auro purpuraque contexta moles summa artificum contentionе, principis iussu erigebatur. Eo perfecto opere, die quodam festo, qui dies fuit 1. v. nonas Septembbris, procedit ab ab. Louis arce Princeps, cum principum aliorum comitatu, hostiumq; etiam ipsorum legatis. Namque cognita Caesaris inclinatione animi, omnes, ut praecisā ab ea parte spem viderunt, aduersus praesentis necessitatis telum, quae sita per simulationem gratiā aderant duro ore, & nullā flagitiū huius verecundiā, quod rupta nuper pacem initati & moliti, rursusq; meditantes & molientes Galeatio & Mediolanensisbus bellum, in poppa nunc agmineq; adulantium conspicerentur. Incertere autem vñā cum Duce coronaudo, praeter ceteros, Thedorus Montisferrati Dcmarchus, Franciscus, & Jacobus Carrarienses, Vgo Saluciensis, Antonius Vrbinas;

pe-

perennium hostium nomina, qui, cum rerum facie mutando identidem suam, animos semper eisdem retinebant. Nihilo amicioribus incedebant animis, legati Veneti, legati Florentini, Perusini, Pisani, Siculi, Bononienses, Senenses, Lucenses, & urbium populorumq; aliorum, quibus læta erat res, siue singere expediebat. Proceres urbis, tum simulatione lactitiae, tum suo equorumq; cultu externis illis aemuli, moestitia maiore ob patriæ scrutium, quod extrema illa caeremonia sanciebatur. Circumsteterant tribunal delecti equites totoque campi ambitu disposita armatura varijs generis fuit. Ipso in tribunali Caesaris legatus Principem humanissime excepit; caeteri post eum ordine subibant, & in sua quisque sede collocabantur. Otho Mandellus vexillum tenebat, sexto in decussim stemmate, Gallica lilia, Vicecomitum anguem, Germanicasq; aquilas attollens sicuti per fastum, & adulationem insignia illa contexta erant, Res diuina facta est per Philargum eundem, qui missus antea in Germaniam impetraverat a Caesare ista, emeratq; Principi ceremoniam hactenq; Ducis. Sacrificio peracto Caesaris Legatus nouum,, Ducem ita alloquitur. Maiorum tutorum facta, & magna tuae virtutes induxere Caesaris animum, ut Metropolim hanc prouinciamque Mediolanum, & subiectas urbes Ducis nomine possidendas tibi, & posteris tuis decerneret authoritate & iure, quo haec omnia ad Sacri imperij maiestatem spectant. Atque munus hoc familiae vestrae meritis & fidei debitum, sicuti ad populum etiam pertinere salutem censem maiestas eadem,

P p p p 2 ita

„ita populos ipsos ob tanti beneficij memoriam & fru-
„ctum, fore nominis sui cum maiore benevolentia me-
„mores, principesq; alios ad benemerendum de Roma-
„no imperio talibus exemplis acrius incitari posse con-
„fudit. Nec hortari, nec monere plura, loci temporisq;
„huius est, & impletum est omne munus, hoc ipso quod
„te Caesar meus elegit. Nam & Diuina prouidentia
„Numenq; illud, cuius nutu singula, & cuncta reguntur,
„prius elegerat, iam inde ab Auo & Atauo procreatū ex
„stirpe dominatrice, tot hostium victorem, tanti populi
„suffragijs iuditioq; approbatum. Benesius Cæsaris
legatus haec ita perorarat, camque orationem exci-
piens Philargus Episcopus Nouariae pari breuitate re-
spondit, tamquam sui Principis nomine beneficium libe-
ralitatemque Cæsaris adoraret; & consentaneam ei
verborum adorationi fore rerum fidem erga nomen
Imperij pollicebatur. Prolata hinc diplomata recitan-
tur, queis per fori apices, & vocabula aulæ, res vniuersa
Mediolanensis, & singulæ partes huius imperij, quae
assurgunt in colles, quaeue expatiantur in campos, pra-
ta, siluae, pascua, punctiones, venationes, ius omne be-
neficiarium, ius omne bellicum, mos & consuetudo
ciuum, praemia & poenæ, vitae necisque potestas cum
Ducis titulo tradebantur sub nutrum arbitriumque Vi-
cocomitis, pari erga posteros eius munere, si qua legit-
ma proles in domo esset, consuetudine & ritu, quo ne-
gotium illud æstimare potest hominum fama. Quibus
recitatis, iuratum in Cæsaris verba Vicocomitem, or-
nant diademate, & baltheo, & peplo, equoque insiden-
tem.

tem sub vmbella in Arenae aulam inducunt. Diademati pretium perhibuere scriptores cc. M. florenoū nummū; & admiratione vanitatis in tantam chro-nographi nonnulli vanitatem euecti sunt, vt alia princi-pis gestamina, totosque eius diei apparatus ad calculū reuocando, summas annalibus ingentes congererent, quasi calamitates & onera ciuium, raptæque illæ ex priuatorum laboribus pecuniae, aut publica aliqua felicitas, aut gloria aliqua Principis essent. Ceterū, codē anno, quo peracta ceremonia erat, apparuit, quā vilia essent ista apud infensos, & longe aliud agitantes animis, quām quod legationum officio & simulatione vultus praetulerant; vel potius apparuit, quām inuidiosum & graue spectaculum tanti splendoris, tanta-rumque diuitiarum fuisse apud eos, qui ne antea quidē perferre famam & auditionem opum earū potuissent. Nam Florentini statim incurauere Pisanos, quibus oppugnandis, haud dubie Mediolanensium arma mo-uebantur; & Gallię Regē aggressi legationibus ac pro-missis, tamdiu fatigauere, donec relicto quod prius ice-rat fœdere, nouum secum aduersus Mediolanenses ini-ret fœdus, hostisq; ex amico Vicecomitis fieret. Mox Gallus vi subita morbi deiectus e potestate mentis, fœdera omnia, regnumque ipsum, ac deinde vitam re-liquit. Florentini tamen hostilibus perseuerabant ani-mis, & suo Marte rem Pisanam infestando, mitti no-stros illuc exercitus coegerunt alienissimo tempore propter exortum aliud cum Mantuano bellum, quod etiam venientibus inde auxilijs grauius & difficilior quotidie

quotidie efficiebatur. Ita coronato Duce, Metropolim, caedem quae prius vrgebant calamitates, & impensa bellorum; foederatique paulatim priores, ab alio alias solicitudine omnis & metu excitabantur, ne Vicecomes, firmato iam Caesaris autoritate Imperio, nomine que Ducis adeptus, appeteret etiam Italiae Regnum, unde finis dominationi, vel libertati suae. Pro Ic quisque mittebant auxilia Mantuano & Florentinis, ut si alterutra in parte Mediolanensem exercitum afflixisset, successissetq; aliquid ad Metropolim deinde inuadendam strenue vniuersi impetum darent. Metropolitanas autem in Hetruria copias, Florentinumq; bellum regebant Ioannes & Albericus Balbiani fratres, egregia ante id tempus militari fama, & pari erga Vicecomitem fide, quam vtramq; laudem eo bello corruperunt. Nam neque memorabile quicquam gessere, dispersi & vagi quacunque populationum & praedae vocauerat spes; & ingemiscente nequicquam ac reclamante Alberico fratre, Balbianus alter ad Bononienses defecit. Meliore aliquandiu fama, non tamen exitu meliore Iacobus Vermus Mantuano bello datus ab Vicecomite imperator agebat. Is enim quadraginta nauibus longis Pado amni Mantuanam classem aggressus, incenso ponte, quem Gonzaga ipse tuebatur, magna que hostilium triemium parte, vel capta, vel acta in fugam, triduo post, exposito milite in ulteriore fluminis ripa, cum castra posuisset in Mantuano septo, repente ob loca viginosa, latulenta, celiisque intemperiem, affectum morbo tabeque exercitum pene omnem habebat, ipse

etiam

etiam aeger. Quam naucti occasionem foederati, cum
subita illâ Mediolanensium victoria in metum adducti,
Bononię de rerum summa consultassent, copiasq; suas
ad opem Mantuano ferendam in vnum contulissent, ci-
tato agmine accurvunt, ac leui certamine, caesis aut fu-
gatis nostris, castra opulenta copia omnium rerum
cepere. Vermus euasit ignominiae trepidationisque
plenus, & vnā cum eo reliquiae cladi ad Guastallam
constitere. Clades inde alia vrbi Mediolano erat exa-
ctio tributorum, quac tanto accepto detrimento Viceco-
mes ad reparandum bellum, ciuib; Cleroque immodi-
ca & intoleranda imponere cogebatur. Centena mil-
lia florenorum nummū in singulos menses fisco Du-
cis exigebantur ante eum casum. Noua haec tributa
o*ringentorum* millium summam expleuere, ea queta-
bes multas illustres familias absumpserit. Omnis pu-
blica priuataq; pecunia cesserat hoc tempore in domū
principis, & ciuium alimenta nouus belli apparatus
occupabat. Reuocatur ex Etruria Albericus Balbianus
cum eo exercitu, quem circa Pisas habebat; isque mo-
dico relicto ibi praesidio properus adfuit, stimulante
praeter Ducis mandatum etiam cura & dolore fraternæ
defectionis, ut quod ille deliquerat, ipse emendareret.
Præterea, Facinus Canis, & Paulus Sabellicus, ille Caſa-
lensis, hic Romanus, clarus uterque bello & formida-
tus, proposita ab Vicecomite spe rerum ingentium, &
amplissimis in praesentia stipendijs asciti copiarum du-
ces, quæ per urbem & per agros conscriptae subitario
delectu, ad omnes hostium conatus opponebantur.

His

His ducibus, & Iacobo eodem Vermo exercituum imperatore, Mediolanenses, ad Florentiam, ad Mantuam ad oppida alia, ita perculerat foederatos, ut Veneti, cum ancipites ad id seruassent animos, mitterent de pace legatos ad Vicecomitem, & omni sua authoritate contendenter ne ultra dimicaretur. Ea res, & conciliandac pacis actio, difficilior aliquato impeditiorque erat ob irritatos superiore clade Mediolanensium animos, ob speratam nunc victoriam, & ob conditiones, quae ab vira que parte proponebantur. Veneto tamen adnitente Senatu pactae sunt induciae decem annorum, fuitque hoc ita positum in conditionibus, Mantuanus ut Mediolanensi beneficiario iure subiectus esset, & testandi causa, Imperium se ab Vicecomite habere illud, vestigialis Metropoli fieret ipse posteri. eius; quam conditionem accipiente Gonzaga, publicis tabulis cognitata res est, testatoque perscripta. Detegitur postea quæcumque serio, domestica principis calamitas intensusque proditor, qui diu consilia & arcana omnia aperiendo foederatis corruperat saepe victoriam & tardarat, causaque etiam fuerat cladis; neque ullæ hostium conspirationes coniunctive exercitus tantum damni attulerant, quantum huius perfidia & scelus. Pasquinus Capellus fuerat Cremonensis, qui sordido etiam, non solum humili loco natus, nullis honestis artibus imbuerat animum; sed ars ei scribere Principum nomine Epistolas, cuiusque seruulis ministerij occasione nouerat herilia cuncta, meniem & sensus animi intimos; quantum pecuniae domi, quid visum in exercitu, fida

&

& infida omnia , quid in qua mque diem pararetur ,
quid sponte sua quisque dies afferre posset . Haec om-
nia iam inde ab Galeatio II. patre Ducis, diuturno vsu
comperta proditor habebat, emptusque ipse prodigis
ad talia solertijs hostium venditabat, hac ipsa mercede o-
pes principatus despiciens infra suas . Prodidit cum
Carolus Malatesta, statim vbi , pactis vt dixi , decen-
nali bus inducijs, & sperata post inducias pace, cooperat
apud emptorem praecipue eum vilis contemptusque
est . Pecuniae eius apud nummularios repertae , &
in fiscum redactae , subsidium opportunum exhausto
tot bellorum sumptibus Principi fuisse dicebatur quasi
per iocum ; sed reuera etiam fuere . Ipse ad Ticinum
intra confiulatas densasque tristes (caueat Ticinensi
manet adhuc horribile nomen) coniectus claususque
contabuit . Luchinus Nouellus etiam hoc tempore
mortuus est, ille, qui effusa marris impudicitia subdi-
tus Luchino principi partus, postquam ipsa ultro pro-
fessa est adulterium, aufugerat, prima iuventa principis
filius habitus, reliqua deinde vita extorris . Venetas,
se se contulerat exul ; ibique obiit facto testamento, cu-
ius singula capita pietatem eius viri declarauere . Iussit
cadaver suum deportari Mediolanum, atq; in D. Fran-
cisci Aede sepeliri , qua facillum Innocentum nomini
ipse olim extruxisset . Duodecim millia florenorum
nummum apud nummularios deponi iussit , vt eius pe-
cuniae fructus annui Carthusiensibus Monacis cede-
rent . Ingentem aliam pecuniae summam , quam Flo-
rentiac habebat, legauit in eum vsum, vt duodenae quo-

Qqqq tannis

tannis adolescentulae, quarum ob paupertatem pudicitia periclitaretur, dotem inde acciperent, nuberentq;. Multos porrò fundos, quos possidebat in agro Mediolanensi, legavit Carthusiac, quā ad Garignanum Ioannes Archiepiscopus instituerat, adiecitq; onus, ut ex fundorum corū fructibus Monasterij aedes olim inchoatæ exstuerentur; absoluta aedificatione, fundi ipsi Monachis alimenta præberent atque adderentur in reliquum Monasterij patrimonium. Corneridi, & Meseriarua Monacis eisdem reliquit ea conditione, ut ex bonorum eorum fructibus, pauperibus benigne fieret, darenturq; dotes nubilibus puellis, quibus id subsidij datum esse patres censerent. Luchinus Nouellus Venetijs moriens haec legarat institueratq; anno ccccxcix; unde publica in exulem misericordia, & renouata in feminam indignatio, quae dignum hunc honestiore matre partum professione illa sui dedecoris infamasset. Eo anno versa penitus est Insubria in religionē, que nō multum à superstitione abesset, idque ab re ipsa Misericordiae tempus appellatum. Initia religionis eius profecta, e Subalpinis; & non magni primò coetus, paulatim assumendo subinde alios, in eam multitudinē peruenere, ut agmina complura fierent, ideo, quia non idem locus ales simul vniuersos posset. Admisi multiesibus viri, grandioribus minores, sacri quoque profanis ad quindecim ferè millia mortalium incessere nudis pedibus, inuoluti linteis it aut pars exigua, quā cernerent, aperta relinquuntur. Trina quotidie tempta obibant canendo sanctissimas preces, quarum formam

Disci-

Discipulis suis Christus ipse praescripsit: Id initium erat: dein Angelica salutatio subdebat; deinde nomenclatura Sanctorum, aliudque quippiam ex ijs, quae D. Bernardus pio carmine est modulatus. Ut ad quem locum pagumue accesserant, concionabundi Sacerdotes, conabuntur suadere quamplurimis, ut sese in agmen conferre suum vellent. Digredientes inde, carmen illud concinebant; STABAT MATER DOLOROSA IVXTA CRUCEM LACRIMOSA; tum ceteræ quas dixi preces ordine sequebantur. Et quacunque duae sese viae intersecarent, strati humi, pleno sonitu ferientes aethera, diuinam misericordiam implorabant; inde Misericordiac tempus appellatum. Pauci primò fuerant, deinde paucis aggregando sese alij numerum & populum eum, quem dixi, effecere. Tradunt temporum eorum scriptores, multas implacabiles inimicitias per homines illos esse sublatas, multos à flagitiosa vita perditisque moribus traductos ad perfectionem & salutem. Addunt etiam miracula morte suo; vilas in sublimi concurrentes inter se acies, solemq. puro ac sereno celo languidum ac propè emortuum iubar per dies aliquot praetulisse; Rursus quasi scintillantcm esse conspectum, ac dcinde, fornacis modo globos igneos cum fumo ac vapore euomentum, citreum, & luteum, ac denique in attum colorem concessisse; speciemque eam Antonius Mirabellus se aievidisse cum Laudae vicarius esset. Veluti prodigia imminentium Vibi calamitatum hæc accipiebantur, sed ea quae deinde insecura sunt, fecere, ut certissimum.

Qqqq 2 &

& vnicum princeps ipse prodigium fuisse diceretur. Iam ille super gressus omnium fere principum imperia & opes, domitis hostibus, data pace quibus voluerat, alijs illigatis induciarum vinculo, capta Umbria, missis in Etruriae ciuitates praetoribus, Bononia etiam recepta, illa tantarum dimicationum vrbe inibi erat, vt Italiac rex coronaretur. Treis adulti filij, subnixa dominus consanguinitate omni; quae, vel ad praesidium, vel ad splendorem expetenda esset; ipse quinquagesimum quintum annum ingrediebatur in tanta gloria nondum senex. Et cum ita constituta fundataque cuncta ei essent, prope aderat, cum deficeret ab Metropoli nominemq. Vicecomitum singulas palatim imperij partes, & imperium denique totum extinta omni stipis huius virili sobole, per superstitem vnam feminam in peregrinam aliam transferri domum oporteret. Sed Princeps ignarus, tum appropinquantis sibi mortis, tum rerum carum, quae post mortem futuræ essent, maiestate animoque regio cuncta agebat; dimicantibus inter se Regum alijs arma interponebat sua, cum aliis ipse gerebat bellum. Constantinopolitano Imperatori suppetias aduersus Turcarum principem Amuratum misit, cum petendi auxiliij causa Mediolanum occultus ille venisset. Robertum Bauarum, novum deiecto Vincislao Caesarem inuadendac Metropoli iam transgressum alpes, commisso in Cenomanis praetorio retro compulit Tridentum. Pontificatus quoque Maximi curam atque defensionem amplexus, cōfilia Regum exterorum de creando suae nationis Pontifice,

efice, dissimulato negotii eius intellectu, discussit arte; quam ipsa temporum conditio suppeditabat. Cùm enim Rex Hispaniae, Rex Gallus, atque his interiecti transalpini alii principes, missa in Italiam legatione, verbis quidem & specioso ad omnis titulo peterent Ecclesiae Catholicae pacem, finemq; dissidij quo Pontificatus eo tempore distrahebatur, se autem ipsa molirentur id quod dixi, & Concilium Italiae principum dari sibi postularent; Vicecomes, quem praecipue legatio ea fatigabat, huiusmodi responso expedivit rem. Totam esse pestilentia contactam Italiam: non posse Principes absque manifesto exitio congregari: ubi calamitas ea decessisset, Reip. consulturos. Ita periculosa res, quae sub salubri titulo tentabatur. Vicecomitis huius prouidentia & astu discussa est. Florentino eriam bello, expugnatione eius urbis finem impositurus erat, cùm ipse moritur. Mortuus est ad Melinianum decimo ab urbe lapide, quo se se contulerat in pestilentie metu; formaque mortis comparatus est omnibus, qui vñquam sancte decessissent. Tanta ei solicitude vitae alterius, & ab eadem magnitudine auimi, qua gesserat imperium, cura tanta extremi actus fuit. Cadauer in Monasterio Viboldoni collocatum est interea dum exequiae regali pompa adornarentur. Exsequiarum autem apparatus, & pompa fuit huiusmodi. Familia Praetoris, & familia Præfetti urbis atrata praecibat: sacri ordines cù sua quique Cruce sequebantur. Post sacros ordines ibant, qui suo quaque loco continent, euagationesq; prohiberent.

Ad

Ad templi maximi valvas constitere milites, ut quietus
ac sine tumultu ingressus praestaretur; alij toto tem-
plo ad Aram usque dispositi curam eandem agebant.
Equus Principis cum galea & crista gentilitijsq; insi-
gnibus, & armatura, qua ille vtri solitus fuit, ad valvas
usque perductus, ab ijs qui tenebant, traditur alijs, ac
deinde per manus alijs, eodemq; ordine, varia arma, &
vexilla portantes equi circa templi valvas traditi sub-
ducebantur. Cohors deinde alia nobilium virorum
sequebatur conseruandi ordinis causa: post cohortem
cam Gabriel Maria Principis filius ibat cum longo le-
gatorum ordine, quos Civitatum, & Rerump. Princi-
pes miserant. In co agmine fuere Pontifices & Abba-
tes, & pleraque alia sacrarum dignitatum nomina,
prout quemque suus animus erga defunctum, vel suae
opes apud heredem, vel aliena mandata exciuerant ad
lugubre id munus. Post eos procedebant legati ciui-
tatum regionumue subiectarum Metropoli, & ex re-
gionibus ciuitatibusque iisdem Collegia Monachorū.
Clerusque vniuersus. Miserant eaedem ciuitates equi-
tum agmina splendidissima quantum in atro illo & fu-
nesto colore esse poterant. Hi Cleri sui vestigij insi-
stentes, bini quaterniq; vehebantur. Proximi erant
octo regia ferentes vexilla, post quos, duo millia ho-
minum vadebant, cum facibus accensis, & oblonga
pullaq; veste, quae pectoris medio insignia Viccomi-
tum gentis aurata praefcrebat. Archiepiscopus dein-
de Mediolanensis cum purpuratorum manu totoq. Tem-
pli Maximi Clero feretrum anteibat. Feretro succol-
labant

labant Principes viri succedentes inuicem integri fessis,
& supra id auream vmbellam alij procerum attolle-
bant. Circumfusa feretro erat alia turba ferentium
clypeos, insigniaq; & vexilla ; & agmen extremum
claudebat duo millia hominum cum ardentibus tae-
dis. Ad Templi valvas legati principum, & ciuitatum
nominatim citabantur, acceptisq; funeralibus ad aram
vsque procedebant ; inde flectentes ad sinistram pro-
ximo diuerticulo in aulam tetendere. Ibi funebris ora-
tio habita est à Petro Castelletto Dominicanu
temporibus illis homine, & propter vitae etiam digni-
tatem claro. Testamentum apertum heredes habuit
Ioannem Mariam Anglum, Philippum Mariam Anglū,
& Gabrielem Mariam Anglum; aliaque inerant nihil
ad Remp. attinentia ; sed adnexa religionis & patriae
rebus haec fuere . Ticini Monasterium heredes mei
extruunto Carthusiensi Ordini , idque Monasterium
descriptis ex ordinis eius disciplina cellis, quatuor & vi-
ginti Monachorum ample capax fiet . In Monachorum
alimenta florenos bis mille quingentos heredes mei
quotannis eroganto . Monasterium illud vii quampti-
mum ædificetur, decem millia florenorum annua e San-
cti Columbani prædijs assignamus . Aedificatione ab-
soluta, volumus bonorum eorum fructus insumi dis-
soluendo aeri alieno, si quid alicui debemus . Dissolu-
to aere, quod reliquum erit ex fructibus bonorum eoru
in pauperes diuidetur . In eo Carthusiensi templo post
aram maximam extrueretur marmoreum monumentum
appositis gradibus, effigiesque nostra item ex marmore
folio

,, solio insidens fiet . Galeatio patri marmoreum in onu-
,, mentum fiet Mediolani in Templo Maximo, in eumque
,, tumulum ipsius ossa transferentur . Collocandis D.
,, Augustini reliquijs arca inchoata sumptu nostro perfi-
,, cietur . Sancti Spiritus Aedes decem Canonicos habe-
,, bit cu[m] antistite suo, ea que aedes Ticini a nobis inchoa-
,, ta absoluetur , & alimenta idonea Canonicis heredes
,, nostri praebebunt . Ad candem urbem, trans Ticinum,
,, qua ponte iungitur flumen D. Antonio aedes ponetur
,, sumptu nostro ; ea Sacerdotem cum Clerico habebit .
,, Romae D. Mariæ Virgini Templum aliud aedificari
,, volumus , eique templo Sacerdotes nouem praeceſſe,
,, quos alent atque sustentabunt heredes nostri . Veronę
,, tria sacella extruentur , Euangelistæ Lucae vnum, aliud
,, Martyri Georgio, tertium sanctissimæ Tri-
,, nitati , ea que facella singulos cum
,, suo Clerico Sacerdotes sumptu
,, nostro habe-
,, bunt.



I O-